AZ.

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
N
13

VIRI ILLVSTRIS

IAC. AVG. THVANI

REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII,

ET IN SVPREMO REGNI SENATV

PRÆSIDIS AMPLISSIMI,

COMMENTARIORVM DE VITA SVA,

LIBRI SEX.



NAPOLI

M. DC. XXI.

Ex libris [illegible] Bibliothecarii celeberrimi

CORNELIVS TACITVS
JN VITA JVLII AGRICOLAE.

PLERIQVE SVAM IPSI VITAM NARRARE, FIDVCIAM POTIVS MORVM, QVAM ARROGANTIAM ARBITRATI SVNT. NEC ID RVTILIO ET SCAVRO CITRA FIDEM; AVT OBTRECTATIONI FVIT. ADEO VIRTVTES IISDEM TEMPORIBVS OPTIME AESTIMANTVR, QVIBVS FACILLIME GIGNVNTVR.

CAIVS PLINIVS EPIST. XVI. LIB. VI.

BEATOS PVTO QVIBVS DEORVM MVNERE DATVM EST, AVT FACERE SCRIBENDA, AVT SCRIBERE LEGENDA, BEATISSIMOS VERO QVIBVS VTRVMQVE.

VIRI ILLVSTRIS

IAC. AVG. THVANI

REGII IN SANCTIORE CON-SISTORIO CONSILIARII,

ET IN SVPREMO REGNI SENATV PRÆSIDIS AMPLISSIMI

COMMENTARIORVM DE VITA SVA

LIBER I.

NATVS eſt Iacobus Auguſtus Thuanus Lutetiæ Pariſiorum VIII. Eid. Octobr. circa horam ſeptimam matutinam in ædib. auitis, quas nunc habitat, anno ſalutis CIƆ IƆ LIII. eodemque die pro eo in ſacro luſtrico ad S. Andreæ in arcubus fideiuſſerunt Renatus Rollierius Epiſcopus Siluanectenſis, Franciſcus Denié ex nobilitate Lemouica Senator Pariſienſis, & Margarita Borgeſia Auguſtini patrui vxor, in eoque Iacobi nomen fere gentilitium, quippe ſupra Auguſtinum auum tres ordine Iacobi numerantur, ac maternum ex voluntate patris renouatum eſt. aderat Hadrianus item patruus, qui Iacobo Auguſti nomen ominoſum adiunxit. is magni animi & incorruptæ probitatis vir, primum Senator Pariſienſis ex ordine Eccleſiaſtico, dein Libellorum ſupplicum in Regia magiſter, cum nondum ea dignitas numero viluiſſet, cum Legatus in Hiſpaniam à Rege Karolo, qui eum plurimi faciebat, deſtinaretur, præmatura morte XVIII. poſt annis deceſſit. Inter maiores Iacobus I. Mariam Violam duxit vxorem ea familia, quæ tot Senatui aſſeſſores, & Gulielmum Violam vrbi Epiſcopum dedit. Iacobi iſtius frater Guichardus Annam Deganaiam Ioannis Deganaij, à Franciſco Guicciardino toties honorifice memorati, & qui poſtea digniſſimus Franciæ Cancellarius fuit, ſororem, vxorem duxit, de cuius cauſſa matrimoniali conſultus Nicolaus Boerius magni nominis, vt tunc tempora ferebant Iuriſconſultus reſpondit conſilio XI. extincta deinceps, ſiue in alienam tranſlata familia principali, ſecundo geniti ex equeſtri ordine in togatum migrarunt, in eoque Iacobus III. vixit, ex Henoueſa Monia Alemania Auguſtinum ſuſtulit, qui cum Senatus Pariſienſis præſes à Franciſco I. lectus fuiſſet, paulo poſt obiit menſe Martio anno CIƆ IƆ XLV. cumque ad eius funus, vt fit, inuitaretur Senatus, ampliſſimi ordinis præſes reſpondit, Auguſtini integritatem ac ſummam virtutem, quibus in Senatu dum vixit, excelluerat, meruiſſe, vt non ſolum funeris honor, qui Præſidibus aliis deferri ſolitus eſſet, præſtaretur, ſed vt in poſterum tanti viri, donec erit iuris cultor rectiq; Senatus, intempeſtiuum lugeat exitum. atque id in acta Curiæ eſt relatum. is porro Claudiam Marlam in vxorem duxit Erici Marlæ Franciæ Cancellarij, qui cum Bernardo Armeniaco E. M. Lutetiæ ſub Carolo VI. indignum in modum anno CIƆ CCCCXVIII. Lutetiæ cæſus eſt, proneptem. quæ Chriſtophorum ac XXI. prætetea ſeu mares ſeu fœminas mira fecunditate viginti annorum ſpatio progenuit. Chriſtophorus ex Iacoba Tullia Cælia cum Deganaio iam memorato, quippe quæ Dionyſiam eius ſororem in auiam habuiſſet, & Franciſco Oliuario item Franciæ Cancellario artiſſima cognatione coniuncta, tres filios ac quatuor fi-

lias ſuſtulit, ac ſex alios præterea qui in infantia eſſe deſierunt. Ioannes filiorum maior natu in flore ætatis cum magnam de ſe expectationem in aula noſtra excitaſſet, morbo abſumptus Renatum ex Renata Balieta progenuit, & tres filias ex maiore numero ſuperſtites, Renatam, quæ Ioanni Burnouio Cuſſaeo Senatus Armoricani primario præſidi, Iſabellam, quę Ioanni Longovallio Manicampio Bucoij comitis in Belgio gentili, Iacobam quæ Friderico Hangeſto Argentio nupſerunt. Chriſtophorus biennio vix Ioanne minor miſerabili caſu per hæc bella cum cognomine filio, quem ex Franciſca Alegrina ſuſtulerat, perijt. filiæ natu maiores Iacoba vitam monaſticam profeſſa in Malanouiano cœnobio, eiuſdemque cœnobij antiſtita electa ad paucos dies ſuperfuit. Maria & ipſa in Piſciaceno cœnobio primum profeſſa, poſt Claretij in Aulercis monaſterij haut longe à Nogento Retrodi antiſtita: Anna item quæ Philippo Huralto Chenernij comiti & Franciæ cancellario, & Katharina quæ Achilli Harlæo Senatus Pariſienſis primario præſidi nupſerant, iampridem ad meliorem vitam migrauerunt. Supereſt Iacobus Auguſtus, de quo ſermo inſtitutus eſt, qui difficilem admodum infantiam habuit, vt ipſe à nutrice ſua ſe intellexiſſe ſæpius mihi narrauit, crebris torminibus cruciatus & inſomnis fere per noctem, vt metus parenteis inceſſerit, ne intenſis & aſſiduis ejulatibus rumperetur. ad hæc pro cibo totum biennium nihil præter lac accipiens, reiecta omni pulte, à qua deinceps tota vita abhorruit, &, quæ in Italia vſurpatur ex friato pane & oleo polenta ſolito citius propterea ablactatus, & inde gracilis ac macilentus, vt de vita eius deſperaretur, donec ad quintum annum peruenit, quo pingueſcere & ſucco cepit turgeſcere, qualis cernitur in tabula à Georgio Veneto Illuſtriſs. Cardinalis Caroli Lotaringi domeſtico, qui in proximis ædib. Fiſcanenſibus diuerſabatur depicta. tunc enim ſeptimum annum agebat. eo factum, vt indulgentius & negligentius quantum ad animi cultum domi ſit habitus; quippe qui dum valeret ſatis diſcere videretur. nec interea tamen in illa ætate quantum in ſe fuit deſidiæ ſe dedidit, in pingendo aſſiduus, ad quod laudabile animi exercitium omni alio ſiue infantiæ ſiue pueritiæ omiſſo oblectamento, natura ferebatur; gentile hoc in Thuanis. nam & Hadrianus patruus, de quo dixi, & Ioannes & Chriſtophorus fratres ſcitiſſime pingebant. ipſe Alberti Dureri præſtantiſſimi pictoris cælaturas calami ductu ſtudioſe admodum imitabatur, & eodem inſtructu antequam ſciret legere, ſcribere didicit. decimo demum anno litteras attigit, ex hac occaſione mox in ſcholam Burgundicam, quod ea in proximo eſſet, cum Renato Rullerio Renati Epiſcopi Siluanectenſis patrini ex fratre nepote miſſus eſt. vix annum in gymnaſio fuerat, cum ditiſſima febre ~~correptus & in paternas ædeis~~ deductus eſt. curabat cum Ioannes Magnus, & Gracchus, qui de ægroto deſperantes eum pro ~~depoſito triduum habuerunt. itaque~~ ex procœtone, in quo iacebat, patris conclaui proximo in diuerſum ab illo cubiculum tranſlatus fuit, cum mater diceret, ſi contingeret eum in illo mori, fore, vt pater eo vti in poſterum nollet. toto eo tempore, quo à medicis atque à ſuis derelictus fuerat, Gabrielis Marzolia illuſtriſſimæ Marzoliorum in Petrocoriis familiæ heres, quæ negotiorum cauſſa frequenter apud patrem itabat, aſſidebat ægroto, & plerunque pernoctabat, & cum à parentibus rogaretur, ne ſe circa puerum iam conclamatum fatigaret, illa & melius de eius valetudine ſperare reſpondit, & ex ingenui nec ingrati animi indole non inane ſe capere omen dixit, fore, vt vicem aliquando ſuis redderet. Renatam ex Nicolai Andini Mezeriæ marchionis matrimonio vnicam habebat filiam, quæ ſub id Franciſco Borbonio Delphino principi nupſit, & ex iis natus Henricus Monpenſeriæ dux ſeculi ſui amor, ac breues, proh dolor! deliciæ, quem Thuanus deuotiſſime coluit, ab illo, viciſſim impenſe redamatus. poſt integrum ſeptimeſtre, tanto tempore ad vireis poſtquam tam periculoſo morbo defunctus eſt, recuperandas opus fuit, in ſcholam reductus Henricum Monantholium Remis oriundum audiuit & poſtea Ioannem Martinum Pariſienſem, ac poſtremo Michaelem Mareſcotum, & Petrum Vallam ex Neuſtria nobileis Philoſophos, qui poſtea omnes laurea pro more donati medicinam magna cum laude Lutetię fecerunt. Monantholius in ſchola Prelæa educatus, & doctrinæ Rameæ addictus ad medicinam Mathematicas artes adiecit, & in Regiorum profeſſorum collegium allectus ad extremum vitam eo munere egregie defunctus eſt. eo præceptore Thuanus Arithmetica & Geometrica elementa didicit. heic autem ſe animaduertiſſe narrabat à patribus qui pueros diſciplinæ tradunt, grauiter peccari, dum præceptorum curæ confiſi, minus ipſi diligentiæ adhibent, cautiuſque facturos, ſi per fidos & appoſitos cuſtodes eos obſeruent, nec tempus inutiliter illis perire ſinant: videantque ne in geſtu & ſermonibus indecenter aut minus modeſte ſe gerant. id cum negligi ſuo tempore videret ex eo inceſſiſſe curam alios monendi, & ſi Deus ipſi hunc vororum cumulum addidiſſet, quod ſero ſed plena menſnra ei tributum eſt, in filiorum educatione maiorem quam in ſe factum eſſet, diligentiam adhibendi. ſero ſe literas attigiſſe: ſed nec probare illorum vehemens deſiderium, qui vororum nimij pueros vix quinquenneis ad eas animum appellere iubent, & mirari Quinctilianum grande Romanæ togæ decus, qui docendi impotens, diſcendi infantibus laudabiliori quam feliciori conſilio neceſſitatem impoſuit, etiam filio raræ ſpei in exemplum potito, quem præcipitatis ſtudiis exhauſtum mœſtiſſimus parens extulit,

iactura

iactura poſteris ſane felici, cuius occaſione nobis edidit admirabile ſpecimen illud eloquentiæ, quo eum in VI. Inſtitutionum volumine inſolabiliter luxit. maior in Thuano literarum amor, quam robur ingenij, & memoriæ tenacitas in iis diſcendis ac retinendis fuit, pluſque aſſiduitate & literatorum conſuetudine, quam labore proprio, cuius contentionem natura non ferebat, profecit, libertate ſumma tum vita tota, tum maxime in ſtudiis vſus; quod iam à prima pueritia quaſi ſui arbitrij relictus, ſuo non vllius, qui poſſet cogere, ductu vitam inſtituiſſet. ab hoc vehemente amore manauit non minus vehemens erga eos omnes, quorum fama & ſcriptis tota Europa nomen increbruerat, affectus, quos & videre & alloqui iam tum geſtiebat. cum vero Hadrianus Turnebus ad Godofredum Faium, quem diligebat, ſub id veniſſet, & Thuanus à Faio ad eum ſalutandum deductus eſſet, ex eo tam alte imago celeberrimi viri hæſit, vt cum paulo poſt in viuis eſſe deſiiſſet, ea dormienti continuo obverſans ex eius animo nunquam deleri potuerit. poſt quinquennium vbi è ſchola exiit, Dionyſium Lambinum & Ioannem Peletinum, qui Ariſtotelem Græce ſuo quentem interpretabatur, in Græcis profeſſorem regium audiuit, eodem fere tempore, quo & iuuenis Illuſtriſſimus Franciſcus Iuſtus Turnonius ad eum audiendum aſſiduus erat. iam Ioannes Auratus profeſſioni renunciauerat, & in Sanvictorianum ſuburbium conceſſerat, quo frequens itabat Thuanus, ex eiuſque colloquiis ſemper inſtructior redibat, de Budæo, quem ille puer viderat, Germano Brixio, Iacobo Tuſano ſedulo eum percontatus. Huius etiam beneficio in notitiam P. Ronſardi diſcipuli venerat, cuius iam tum & amicitiam poetica quadam facultate demeruit, adeo vt cum vltima editione opera ſua recudenda Io. Galaudio mandaſſet, Orphea ei cum honorifico maxime elogio dicauerit. in Iu. Antonij Baifij etiam & Remigij Bellaquei familiaritatem ex eadem occaſione ſe inſinuauit, quam poſtea arctius coluit. hinc Aurelianum cum fratre patrueli Chriſtophoro Auguſto fere coetaneo Auguſtini patrui regij in Senatu patroni filio, & Renato Ruſſerio contubernali ad iuris ciuilis ſcientiam diſcendam profectus eſt, eodem fere anno, quo quartum Edictum pacificatorium conditum eſt; & Karolus Rex pactas cum Eliſabetha Maximiliani II. Cæſaris filia CIↃ IↃ LXX. nuptias Mezeriæ ad Moſam menſe Nouembri conſummauit. Sequens annus in Iuris profeſſorib. publice audiendis inſumptus eſt; ij erant Ioannes Robertus, Gulielmus Fornerius, CIↃ IↃ LXXI. & qui nuper Auarici Biturigum huc venerat Antonius Contius, cuius ſcripta per particulas huc illuc ſparſa in vnum corpus colligi publicæ rei non mediocriter intereſt. Eo anno fatis conceſſit is, quem dixi, Hadrianus patruus, & Katharina ſoror Achillis Harlæi vxor, & Thuanus Iacobi Cuiacij, ex cuius ſcriptis iam tunc in illa ætate tantam admirationem conceperat, audiendi vltra modum cupidus, relictis ſociis, cum quibus coniunctiſſimè viuebat, in Allobrogas iter intendit, cum prius aliquot menſeis Auarici Biturigum commoratus eſſet, vbi Fr. Hotmanum quæſtiones illuſtreis, quæ poſtea editæ ſunt, prælegentem, & Hugonem Donellum audiuit. Valentiam Segalaunorum, nam Cauarum Auenio metropolis eſt, venit, annum fere ante tumultum Pariſienſem, vbi Cuiacius Papinianum ſuum interpretabatur, & cum eo profitebatur Fr. Roaldeſius, & Enimundus Bonefidius. Heic illi primum cum Ioſepho Scaligero contracta amicitia, qui Cuiacij videndi cauſſa ab ipſo inuitatus illuc ante venerat cum Lud. Montioſio & Georgio Burgo, quem tunc conſuetudine & poſtea dum licuit conuictu, & in abſentia per literas incredibili ſtudio & affectu per XXXVIII. annos indeſinenter coluit, eaque re, quam ſibi ab improbis hominibus exprobrari & vitio verti intellexit, in ſinu gaudet, & palam gloriatur, tantaque ex recordatione eius nunc etiam voluptate perfunditur, vt contumelias, conuitia, calumnias, & pericula & incommoda ab iniuſto illorum odio, ſi Deo placet, ob id profecta, ſi detur optio, tam dulcis & honeſtæ tamque eruditæ conſuetudinis amiſſione aut etiam obliuione nolit redimere. & hoc iſtis prooemii ad illorum virulentiam reſponſione dictum cupit. atque id perſancte quidem adſeuerare poteſt, toto eo tempore, quo tanti viri familiaritate ſibi frui datum eſt, nunquam eum de religionis controuerſis capitibus diſputantem audiuiſſe, aut ſibi compertum de iis ad alios ſcribere conſueuiſſe: neque vero niſi prouocatus de iis nec niſi inuitiſſimus diſſerebat. & id verum eſſe ſcit tota illuſtris Caſtaneorum familia, cuius princeps Ludouicus Abenius, qui oratoris regij apud Pontificem munere tanta cum laude defunctus eſt: ſciunt eius filij Ioannes Rupipozæus, atque adeo H. Ludovicus Epiſcopus Pictavienſis, qui & domi apud patrem, & in Hollandia diu cum eo fuit, vterque autem conſuetudine eius eruditiores redditi à maiorum religione propterea minime deſciuerunt. quaſi vero extra religionis cauſſam non multa præclara & ſupra captum, quantum ad literas, humanum in eo admiranda eſſent, quæ bonus quiſque ab eo cognoſcere & doceri merito cuperet, & propter tam raras in eum à Deo cumulatas dotes non, ipſe obſeruari ac precipua veneratione coli à bonis quibuſque mereretur. Sed ſic eſt, religio, quæ fide, & certa de bonitate Dei fiducia, nec non caritate olim nitebatur, & maiora in dies incrementa capiebat, hodie factione & humanæ prudentiæ carniſque conſiliis & coitionibus valere ac ſuſtentari creditur, quibus quantum tribuimus, tribuimus autem nimium, tantum diuinæ prouidentiæ, à qua omnia adminiſtrari & regi potius credendum eſt, ingenio noſtro confiſi detrahimus. quo fit vt Deus

peccatis noſtris exaſperatus nos propriis cupiditatibus cæcos in reprobum ſenſum raptari ſinat, vt quæ recta ſunt non videamus, & quæ fieri non conueniunt, faciamus: & ad extremum verendum ſit, ne malum per ſe ingens, ſi diutius ab iis, qui nimis ſecure aut plus æquo ſibi ac propriæ ſollertiæ tribuentes de iis rebus præpoſtere plerumque pronuntiant, negligatur, quod tecti ſinceriſque ex vnione priſtina & legitima ſucceſſione ſupereſt, gangræna ſerpente depaſcatur, tempuſque illud veniat, quo regnum Dei hîc atque illic fruſtra quæratur, quod intra paucos erit, qui vnionem & ordinem cum manſuetudine animi & æquitate ſeruauerint. His de rebus ſæpenumero ſermocinanteis Thuanum & Nic. Fabrum audiuere plerique, cum deplorato rei Chriſtianæ his nouiſſimis temporibus ſtatu ſe mutuo ſolarentur, & interim in officio contra offenſiones publicas conſtanter perſeuerandum eſſe dicerent, & quod ſtrenui bellatores faciunt, in veſtigio moriendum. bonos quippe afflictionibus & calumniis ſemper obnoxios fore, eaſque pro certo diuinæ gratiæ teſtimonio atque adeo præmio accipere debere. Hæc obiter ex occaſione amicitiæ cum Scaligero contractæ, quæ vitio illi à virtuti & literis infeſto hominum genere vertuntur, dicta ſint. Pater qui filium longius & diutius abeſſe nollet, ſiue mali præſagus, ſiue aliam ob cauſſam eum poſt an-
CIↃ IↃ LXXII. num, quam Valentiam profectus erat, domum reuocat. Carolus Lamonius vir bonus & aliqua proximitate cum patre coniunctus, libellorum ſupplicum in regia magiſter rei ſalinariæ inſpiciendæ, quæ perperam per Delphinatum, Prouinciam, & Septimaniam adminiſtrari dicebatur, cum delegatis miſſus fuerat, hic rogatus à patre vt filium in vrbem rediens ſecum reduceret, eum petita à Iacobo Cuiacio venia ſecum Gratianopolim primum duxit, vbi Franc. Bellomontium Adretium vulgo Baronem dictum vidit, cum ad Adretium ſalutandum in epiſcopi ædibus veniſſet, & Salucias cum copiis regiis, quæ ſubalpinæ regionis præſidiis deſtinatæ erant, proficiſceretur. hominem tanti nominis dum cum Lamonio in horto deambularet attentis oculis conſpicatus, qua pingendi facultate adhuc erat, eum vbi abiit ex memoria ſic effinxit, vt ab omnibus dignoſceretur. erat iam totus canus, ſed cruda adhuc ac viridi ſenectute, oculis truculentis, naſo aquilino, facie macilenta, ſed ruboribus interfuſa, vt lutum ſanguine maceratum, quod in P. Corn. Sulla obſeruatum eſt, ori inſperſum diceres, de cetero corporis habitu prorſus militari. Tandem Lugdunum cum Lamonio venit, & per Molinium, Niuernium, Genabum ſecundo Ligeri Aurelianum delatus, cum paucos dies ſodalibus ſalutandis, quos in vrbe reliquerat conſumpſiſſet, recta ad patrem profectus eſt. Iamque omnia nuptiali apparatu perſtrepebant, cui & ipſe interfuit, ſermones etiam inter Gaſparem Colinium, & Henricum Momorantium Danuillam tantopere poſtea exagitatos cupide excepit, cum nuptiarum die poſt ſacrum peractum per ſepimenta lignea ad turbam prohibendam extructa ſaltu in chorum ingreſſus eſſet. Paucis poſt diebus vulneratus Colinius, & vulnus eius ſecutum vniuerſæ pacis vulnus, quo conuulſa tranquillitas & ſecuritas publica, & tandem infida pace terminatum internecinum bellum, quod per interualla renouatum, aliis atque aliis conditis edictis vix tandem compoſitum eſt, & in diem hodiernum pax ſeruata traditis ſecuritatis cauſſa vrbibus & arcibus, quæ malo exemplo penes Proteſtanteis adhuc remanent. tanti conſtitit Regi ac toti regno tumultus Pariſienſis, quem ſi ad rerum ex eo ſecutarum horrorem reſpiciamus probari aut laudari non poſſe fateamur neceſſe eſt, niſi ab iis, qui bella ex bellis in patria ſeri, & omnem reconciliationis rationem ſublatam inter nos cupiunt. vt homini Gallo & quietis cupido qui tantum religionis per vniuerſam Europam concuſſæ motum caritate & manſuetudine tutius componi poſſe, quam vi aut odiis ſemper exiſtimauit, vitio verti non debeat, ſi pacis conſilia vel cum priuato diſpendio conſtanter ſectatus, & quæ ab ea ſunt aliena nunc etiam deteſtetur. certe pater eius, cuius ſi veſtigiis inſiſtat filius ſatis ſe in pietate & publica re tractanda ſapere arbitratur, tantopere ea deteſtatus eſt, vt cum poſt caſum Statij Papinij ſiluas legeret, & in locum in Annalibus ſuis memoratum incidiſſet, ad libri marginem diem S. Bartholomæi adſcripſerit charactere peculiari ſibi ſed eleganti & ſatis ex archiuis Curiæ noto. Atque is liber in Iacobi Aug. bibliotheca propterea aſſeruatur vt fidē contra calumnias faciat qui viri optimi hac de re ſenſus fuerit. Tradit Thuanus in libris Hiſtoriarum multa multos ad Colinium ſcripſiſſe, vt eum à conſilio ad nuptias Nauarri veniendi deterrerent, propoſito rei periculo, quibus ille ſurdas aureis ſemper præbuerat, mori potius & per vrbis vicos raptari certus, hæc enim verba ex eius ore excepta, & ipſe Villaregius Thuano confirmauit, quam vllum diffidentiæ ſignum daret Regi, à quo nuper in gratiam receptus fuerat, aut ad arma ciuilia rurſus deueniret. Eadem ſibi Maium quendam ordinum ductorem prædixiſſe, cum Viennam Allobrogum paulo ante proficiſceretur, Colinium ſumma cæcitate & imprudentia amicorum conſilia negligere, qui non videat ſe ad nuptias tot tam adfectatæ beniuolentiæ pignoribus, quæ ni mens læua eſſet, poſt reconciliationem merito ſuſpecta eſſe debebent, inuitari, vt eius exemplo proceres eidem cauſſæ addicti ex toto regno certatim cum eo irent, & ſinguli qui vniuerſi minime poterant, inter feſta connubialia nihil tale metuentes, quaſi ſigno dato, opprimerentur. Cum contra diſputaret Thuanus, & male facere eos, qui tam ſiniſtre de egregia Regis & eorum, qui circa ipſum erant, voluntate ſiue ſentiant ſiue

omina-

ominarentur, multis & optimis, vt ſibi videbatur, rationibus perreoderet, Maium, qui ſe comitem illi in via adiunxerat, ad vltimum dixiſſe, exitum rei fidem breui facturum; & ita ſimul Viennam ingreſſos; vbi ad hominis inuiſi conſpectum excitata ſtatim ſeditione, parum à periculo abſuit Thuanus, dum viæ comitis antea ſibi ignoti periculo ſe opponit. Si quidem is cædibus, prædis, & infeſtis excurſionibus, vt aiebant opidani, circumpoſitæ regioni multa damna vltimo bello dederat. Thuanus, qui nihilominus periculum eius non tantum ad ſuum decus, ſed etiam ad ſecuritatem publicam pertinere exiſtimaret, omnem operam dedit, vt commotam plebem placaret, & ita tandem conoentum, vt Maius vrbe exiret, & in proximo ſuburbio hoſpitium ſibi ſumeret. Hominis non prius & nunquam poſtea ſibi viſi, qui poſt tumultum Pariſienſem, cum ad ſolitas excurſiones rediiſſet, à ruſticis cæſus eſt, mentionem io ſuo diario fecerat Thuanus. Id autem fecerat, tum vt iam de annalibus ſcribendis cogitans memoriæ ſuæ conſuleret, in quibus tamen id omiſit, vt multa ſingularia, quæ io vniuerſæ hiſtoriæ corpus facile coniici non poſſunt nec debent, tum vt rei tantæ ante caſum ſibi prædictæ memorabile teſtimonium ad poſteritatem conſeruaret. Nam diuina prouidentia fieri, vt inſignes caſus ſiue prudentia inſita à viris bonis, ſiue metu præſago ab obnoxiis, ſiue artis ſuæ peritia, ſi qua eſt, à Mathematicis fere præſignificentur, ne ſe non monitos eſſe cauſſari homines aot moniti ad ferenda quæcunque erunt, ſe comparare non poſſint; quod à Thuano diligenter locis ſuis obſeruatum eſt. Tunc vero ad terribilium rerum ſpectaculum non potuit noo animo cohorreſcere, cum ipſe die Dominica, in quam B. Bartholomæi ſollemnitas eo anno incidebat, ad ſacrum audiendum pergens Hieronymum Grolotium Aureliani præfectum & Calliſtum iam interfectos per viam proximam in profluentem trahi coactus eſt cernere, & lacrymas tenere, quas qua animi teneritudine eſt, vix in ferarum innoxiarum cæde tenuiſſet. Et hactenus oculis adflictatus fuit. Nam de cætero cauit, publico abſtinens, ne tale quid aſpicere cogeretur. Poſt aliquot dies ſedata tempeſtate, cum ad Chriſtophori fratris, qui haut longe à Montis martyrum porta habitabat, ædeis diuertiſſet, ab eo ad tumulum quendam vnde Monſalconiæ furcæ conſpici poterant deductus eſt, quò plebs Colinij truncum traxerat, & catena ferrea ad tignum tranſuerſum ſuſpenderat: ſubitque ſtatim recordatio, atque adeo in oculos imago occurrit illius vrbium euerſoris torque conſertis prœliis famoſi & iam de Belgio triumphantis ducis, quem paucos ante dies in æde B. Virginis contemplatus fuerat, cuius cadauer infelici ligno affixum tamque contumelioſe habitum cum cernebat, hinc profunda Dei iudicia admirabatur, inde fragilitatis humanæ admonebatur, quæ breuis æui metis concluſa ſpes longas inchoare nos prohibet, & in horas de eo cogitare, quod nos ſemel manet. Fr. Momorantius E. T. qui abſentia ſua ſalutem non ſolum ſibi, ſed regno ſalutari familiæ ſuæ quæſiuerat, corpus per domeſticos loco infami clam auferendum curauerat. & Cantiliæ vbi erat in arca plumbea loco ſecreto deponendum. nam ne offenſioni cauſſam daret veritus, quominus loco ſacro defoderetur, vetuerat. poſtea Caſtellionem ad Lupam tranſlatum, & in maiorum ſepulcro conditum fuit. Ab eo tempore Thuanus à paternis migrauit ædibus, & apud Nicolaum patruum Senatorem Pariſienſem, qui pulcerrimas in maioris templi quippe cuius ſodalis erat, clauſtro, ædeis, olim à Gul. Briçoneto Gulielmi Cardinalis filio, Epiſcopo Meldenſi ſtructas habitabat, domicilium fixit, in quibus XIIII. annos continuos manſit, illius collegij & ipſe ſodalis; nam mox Nicolaus per obitum Caroli Guillartij Carnutum Epiſcopus creatus fuit, vbi copioſiſſimæ bibliothecæ, quæ & in dies noua acceſſione locupletatur, inſtruendæ initium fecit. cIↃ IↃ LXXIII. tunc ordini ſacro atque adeo patruo Epiſcopo ſucceſſor deſtinatus totum ſe iuris ſtudio & libris Græcis legendis dedit, & cum impenſo Italiæ videndæ deſiderio flagraret, cognito V. Ampliſſimum Paullum Foxium legatione Anglicana & Veneta nuper magna cum laude defunctum io eo eſſe, vt ad Pontificem & alios Italiæ Principes, qui de fratre in Regem Poloniæ electo gratulati apud Karolum fuerant, gratias eo nomine acturus mitteretur, & inde in Germaniam eodem officio defuncturus, poſtremo in Poloniam proficiſceretur. occaſionem tam præclaram minime prætermittendam cenſuit, & commendatione Philippi Huralti Sororij Regis Poloniæ Cancellarij io eius comitatu venit cum Chriſtophoro Auguſto patrueli, Chriſtophoro Hectore Marla, & Arbaliſta Bordio, cum iam ille Genabū peruenïſſet. De tanto viro cui tantò debere ſe Thuanus paſſim profeſſus eſt, & vita eius domeſtica quædam heic addere viſum eſt, operæpretium. Is ex illuſtriſſima Foxia familia ſiue de Foxo, vt in antiquis domus archiuis ſcriptum reperitur, prognatus ex Carmaniorum comitum ſtirpe; nam gens ea in plures ſtirpes ſciſſa eſt; à puero io modicis pro tanta familia opibus, iiſque controuerſis relictus, & ſacris deſtinatus, poſt humaniores literas mira felicitate perceptas, cum & Græce optime intelligeret, & Latine eleganter ſcriberet, iuris ſcientiæ operam dedit, in qua præſtans eius & ad omneis diſciplinas perdiſcendas natum ingenium multipliciter profecit, eamque tota vita excoluit, Iacobum Cuiacium inter omneis interpretes ſecutus. Dein ſtudiis Philoſophiæ ſe totum mancipauit, & Ariſtotelis doctrinæ quaſi nomen dedit, adeo vt eius ſectatores omnes diligeret, & ſummo in pretio haberet, & inter eos Danielem Barbarum patricium Venetum Patriarcham Aquileienſem deſignatum,

quem dicere ſolitum aiebat, niſi Chriſtianus eſſet ſe Ariſtotelis doctrinam per omnia & in omnibus amplexurum fuiſſe. in ea non tam præceptores quam amicos monitores habuit Iac. Carpentarium, qui publicis prælectionibus & ſuſceptis contra P. Ramum ob id inimicitiis magnum nomen in Academia Pariſienſi ſibi comparauerat, & Auguſtinum Niphum Sinueſſani illius famoſi philoſophi nepotem, quem & inter domeſticos habuit, vt & pleroſque philologos, in iiſque Carolum Vtenhouium, Obertum Giſanium, & Robertum Conſtantinum, qui variis ſcriptis de ſuo ſeculo & poſteritate bene ſunt promeriti. Ex quo vero Pariſienſi Senatu exceſſit, & Legationibus obeundis operam ſuam addixit, ſic vitam inſtituerat, vt peractis negotiis, quæ ſumma cura & diligentia adminiſtrabat, nullam ſibi horam perire ſineret, quam ſeriis ſtudiis non impenderet. Habebat puerum, qui coram doctore ex iure, aut Ariſtotele, aut Cicerone, cuius ſcripta ſemper præ manibus habebat, aliquid prælegeret. nam ſiue vt imbecillitati oculorum parceret, ſiue vt memoriæ exercendæ conſuleret, ipſe non legebat, ſed recitantem attente audiebat, & poſt recitationem eadem ipſe memoriter recitabat. atque etiam interpretatione adiuuabat, ita vt lectorem & auditores ex domeſticis, quos ſemper adhibebat eadem opera inſtrueret, & ingenium exercendo altius memoriæ recitata infigeret, eaque conſuetudine effecerat, vt quoties cum principib. aut aliis Regis nomine de magnis negotiis ageret, & quæ audiuerat, & quæ reſponderat fideliter deſcribenda curaret. nam vt non legebat, ſic neque ſcribebat, & aliena opera in vtroque vtebatur, niſi ſiquando res huiuſmodi incidiſſet, quæ alterius fidei tuto committi non poſſet. Heic nihil addam de incredibili virtutis amore & caritate patriæ, Spartacorum & vitiorum odio, magnitudine animi, ſollicita publicæ rei cura, candore, fide certa, in amicitię officiis obeundis præcipuo ſtudio, quæ omnia in ſummæ nobilitatis viro ſumma erant, & cunctos in eius admirationem & amorem ſimul rapiebant. accedebat oris & totius corporis habitus veneranda ſpecies & vere imperio digna, comitas in excipiendis hominibus, ſermonum mellita grauitas, ſed ab omni ſeruili adulatione aliena; quod illum alioqui tot virtutibus omnium beneuolentiam promeritum minus in aula noſtra gratum faciebat. quod cum ille agnoſceret, nec domi in otio vir ad magna natus vellet torpeſcere, honeſtum ſibi exilium quaſi indixerat, in obeundis legationibus aſſiduus. addebat Thuanus cùm Foxius in omnibus, quæ in perfectæ ac conſummatæ virtutis homine requiri poſſunt, plene ſemper ſibi & omnibus ſatisfeciſſet, ſe tamen in eo digne laudando nunquam ſibi ſatisfacere potuiſſe; & cum multa dixiſſet, ſemper plura dicenda reliquiſſe. cùm ad eum venit, in comitatu ſuo habebat ille Arnaldum Oſſatum, quem e foro, quo ſe ad iuris ciuilis ſcientiam, quam ſub Cuiacio perceperat, excolendam contulerat, in Italiam profecturus nuper in familiam ſuam aſciuerat. is aliquot ante annis in Prelæa ſeu Ramea ſchola militauerat, & ſi non inimicitiarum, at controuerſiarum Iacobi Carpentarij cum Petro Ramo tanto æſtu agitatarum particeps fuerat, extantque hodie Carpentarij contra Theſſalum Oſſatum de Methodo aliquot diſſertationes, quæ fidem eius rei faciunt. verum homo recti iudicij, quam gratus in præceptorem, tam in veri indagatione ingenuus Ariſtotelis doctrinam, quam ſibi iure an iniuria exagitandam propoſuerat Ramus, ad extremum amplexus eſt. tunc vero Platonem Foxio interpretabatur, & quoniam diuina illius ſcripta quantumuis florida vbertate arrideant, proœmiis variis, crebris interrogationibus, longe petitis digreſſionibus ac fabuloſis plerunque narrationibus, vt eſt natura dialogi, interſecta ſunt, vix Peripateticæ ſectio addictus, quę alia ratione progreditur, & omiſſis his omnibus rem tangit, diffuſa hæc in artum cogi, & ſub aſpectum diſtincte poni cupiebat; qua in re Oſſati induſtria vtebatur, qui inter equitandum patentibus campis ſummam doctrinæ Platonicæ dialogis comprehenſæ ediſſerebat, & ille quæ ab Oſſato acceperat, poſtea viciſſim memoriter, repetebat. & hæc inter illos. cùm vero ex equis deſcenderant, Thuano ac ſuis vocatis, dum prandium apparabatur, quod in eius hoſpitio, qui comitabantur, ſumebant, per Franciſcum Choeſnum hodie Pręſidem Carnotenſem, tunc vero inter domeſticos à lectionib. illi inſeruientem Paratitla Cuiacij in Iuris Digeſta coram Oſſato recitari iubebat, quæ & ipſe, quia admodum conciſe ſcripta ſunt, copioſiore ſermone explicabat, vt idem faceret in Codicem Cuiacio poſtea auctor, qui ab eo monitus ſtilum laxauit, & opus abſolutiſſimum Foxio dicauit, ex cuius præfatione quanti ipſum fecerit homo, qui nihil gratiæ dabat, cuiuis abunde apparere poteſt. poſt prandium Phyſicam auſcultationem coram Oſſato cum Alexandri Picolominæi paraphraſi itidem recitari iubebat, & in eo præcipue campo ſe exercebat, & paria cum Oſſato faciebat. primum ex Italiæ principib. adiuit Philibertum Emanuelem Sabaudiæ ducem quem ex quartana laborantem Auguſtæ Taurinorum conuenit, quo paullo ante Nicæa Ligurum venerat. is ſere negotia per Margaritam vxorem explicabat, & Foxius, qui præcipuo ante & poſt matrimonium cultu Heroinam admirabili ingenio & æquitate præditam ſemper proſecutus fuerat, per aliquot dies in illa aula commoratus eſt. ibi Thuanus arctam cum Vido Demolineo Rupifortio Blœſenſi iam prouecta ætate literarum nomine amicitiam iunxit, quam & officiis cum fratre continuauit, in Galliam reuerſus, & cum ipſo aliquot poſt annos Baſileæ, vbi & deceſſit, renouauit. is Margaritæ & ipſi Sabaudo percarus ob raram hiſtoriæ naturalis

cogni-

cognitionem, quam feſtiuis ſermonib. explicabat, & nouis cum iudicio factis experimentis in dies augebat, vt honorificentiore loco, quam medicinæ nomine, quam alioqui feliciter facere credebatur, apud eos eſſet. inſtructo à Philiberto nauigio per Padũ Foxius cum comitatu ſuo delatus Caſalium Montisferrati principatus primariam vrbem & arce munitiſſima famoſam venit, ibi petito a Foxio commeatu in Inſubres à comitatu facta bidui excurſio. ad Papiam, antequam vrbem ingrederetur, ad locum, in quo infeliciter à noſtris pugnatum, & Franciſcus ipſe captus eſt, ſubſtiterunt, & inde ad Carthuſianorum ſtructura & vicecomitũ mauſoleo ornatiſſimum tota Europa cœnobium perrexerunt, vbi Thuanus à ſeniore ex illo ſodalitio cum pro more multa percontaretur, rem commemoratione dignam accepit, quam, quod neſciret an ab aliis prodita eſſet, in ſua aduerſaria coniecerat. aiebat ille Franciſcum iuxta ſepti muros tunc apertos captum per medium ſeptum ad templum adductum fuiſſe, & cum ante maius altare ſiſteretur, tunc ex Pſalmo CXVIII à ſacris ſodalib. ad preces in choro congregatis recitatum fuiſſe verſum 70, poſt quem, vt fit, pauſa facta Regem captiuum anteuertiſſe, & memoriter ſequentem verſum quaſi ad conſolationem ſuam ſorte ductum alta voce recitaſſe, *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas*. inde poſt luſtrata Papiæ templa, Mediolanum itum amplitudine & frequentia ſua vrbem nobiliſſimam, & inde rurſus per Laudem-Pompeij nocturno itinere itum Placentiam, quo iam ſecundo Pado Foxius venerat. vnde Mantuam ad Gulielmum ducem ſalutandum diuertit. ibi Thuanus vidit Camillum Caſtellionem Baltazaris comitis Caſtellionis F, qui doctrina & poetica præſtans ob Aulicũ ſuum, quem ad Ciceronis oratoris exemplar effinxit, maius nomen meruit, eoq. filium tanti viri magis ſuſpexit, quod prudentia, morib. & toto vultu, ac decenti corporis habitu exemplar à parente relictum referre videretur. ibi & inter rara pleraq. ab Iſabella Ateſtina auia præſtantis ingenij Heroina luco ſpectabili ſtudioſe cõgeſta rem ſibi cõmemoratione dignã vidiſſe narrabat Thuanus. Cupido dormiens è Lunẽſi marmore adhuc luculento à Mich. Angelo Bonarota, qui architecturã, ſtatuariã, picturã, à priſcis ſeculis intermortuas artes dieb. noſtris quaſi in vitã vnus reuocaſſe creditur, ſculptus, poſt multũ operis admirandi prædicationẽ Foxio oſtenſus eſt, qui conſpectus ab aſtantib. & à Thuano ipſo, qui his artib. ſumme delectabatur, quaqua verſum curioſis oculis luſtratus omnem de eo factam antea cõmendationem ſuperare videbatur. tum poſt ſatis diutinam admirationẽ ad ſtuporem vſq; ſpectantium prouectã, quaſi ex machina ex ſerico faſciolo, quo inuolutus erat, alter prolatus antiqui operis, & qualẽ tot Græcorũ epigrammatum certatim in eam rem factorum mira arte expreſſum legimus, è terra, vt erutus erat, adhuc luteus, qui cum nouo cõparatus, ſtatim effecit, vt aſtanteis prioris iudicij ſumma cõſenſione ſuppuderet, & antiquũ quaſi marmor ſpirans cuncti faterentur, nouũ tanquã lapidẽ iacentẽ iidem, qui tantopere laudauerãt, præ altero deſpicerẽt; aiebantq. è domeſticis nõnulli ipſum Bonarotam hominẽ inter omneis ſeculi ſui artifices maxime ingenuum, cum Iſabellæ ſuum Cupidinem altero viſo offerret, enixe rogaſſe, vt eo ordine vtrumq. opus ſpectaretur, vt ea cõparatione cuncti diſcerent, quantum hodierna ætas priſcæ in his artib. concedat. Mantua Mirandulã itum, quæ adhuc præſidio Gallico tenebatur, duce Arturſerio, qui poſtea bellis ciuilib. magis inclaruit. à Fuluia Corregienſi vidua Picorum matre perhumaniter exceptus Foxius biduum in ea fuit; vnde facto per Concordiã itinere, quod alterũ Picorũ eſt opidũ, Ferrariam ventũ, vbi Foxius ab Alfonſo duci perfamiliariter exceptus & omnes qui cum eo erant, quaſi in aula Francica ſibi verſari videbantur, adeo ille qui tam arta cum Regib. noſtris cognatione coniunctus erat, & à puero apud nos educatus fuerat, noſtros mores imbiberat, vt nihil præter locum in toto conuictu mutatum appareret. Ferrariæ tunc profitebatur Franciſcus Patricius Dalmata, quem quod nouas atq. à cõmuni ſenſu alienas atq. adeo erroneas opiniones in Ariſtotelis doctrina explicanda tueri diceretur, vt ex diſcuſſionũ Peripateticarũ parte iam edita patebat, Foxius ad colloquiũ admittere inſuper habuit, & Thuanus tantũ vidit, non etiam allocutus eſt. peculiari ducis nauigio egregie ornato Foxius Venetias deductus eſt. vrbẽ nocte ſubluſtri ingreſſi ſunt per magnũ Canalẽ, vndis repercuſſum Lunæ & ædium fere marmorearũ ſplendorẽ criſpantib. cum admirabili ſpectantiũ iucunditate, ſubijtq. memoria Philippi Cõminei Argentonij equitis celeberrimi, qui à Carolo VIII. Venetias miſſus vicũ eum tota Europa domib. ornatiſſimũ prædicat. ad Arnuldi Ferrerij oratoris Regij ædeis diuertit Foxius. qui in eius comitatu erant ad proximas domos hoſpitia ſumpſerunt. Thuanus ad Iuſtinæ à Ferrerio ipſo aſſignatũ habuit, quod ea ex omnib. quæ cõducticias ædeis hoſpitib. elocabãt, ſola lenociniũ non facere diceretur, & Ferrerius, qui arta cum Chriſtophoro Thuano Iacobi parente amicitia vinciebatur, præcipuã quoq. eius curã ſibi habendã diceret. perhonorifice Foxius à Senatu exceptus, deducente, vt fit, Ferrerio, & propter dignitatẽ perſonæ, & quod ordinarij oratoris ſumma cum laude nuper apud Sereniſs. Rempu. defunctus fuerat. Et quia ab amicis, quos Romæ habebat, Pontificẽ vix eum admiſſurũ ob memoriã Mercurialis conuentus, in quo Foxius poſtulatus fuerat, & peruerſo iuris ordine à delegatis Iudicib. primum dãnatus, poſtea retractatu iudicio ab vniuerſis Senatus claſſib. abſolutus, eo factũ, vt ille ſibi alicubi tantiſper expectandũ exiſtimauerit, dum noua ad Pontificẽ à Rege mandata acciperet, & qui res Regis Romæ procurabant, ei ad illã aulã benignũ aditũ patefeciſſent. id cõmode Patauij

ei accidit, quæ eſt vrbs munitiſſima totius Venetæ ditionis & omnium ſcientiarũ profeſſorib. florentiſſima, quo ipſe, & qui in eius comitatu remãſerant, nam pleriq. ex moræ illius occaſione alij aliò diſceſſerant, ſe contulit, iuniſq. Thuanus, qui nunquã ab eius latere diſcedebat; qui interim ne tẽpus illud ſibi periret, cum Chriſtophoro patrueli totã Venetam in Ciſalpina ditioné ipſe peragrauit. Luſtrata Vicentia, Piſcaria, & Benaco lacu omni tota Europa nobiliſſimo, in quo vetuſta Scaligerorũ ſedes, Verona ipſa eorũ ſepulcris adhuc præter antiquitatis ſuæ prærogatiuam nobiliſſima, Brixia Catulli Veronenſis mater Veronæ ſuæ amata, & Bergomum, quod iam ad montana vergit: & inde flexo per Cremonam, Cremam & Ateſte itinere Patauium reditum, vbi adhuc profitebatur Hier. Mercurialis foro Liuij in Vmbria natus, qui nuper ex Maximiliani Cæſaris aula redierat, eruditione ſua & ſcriptis à diſcipulis fere ſuis publicatis clarum adeptus nomen, quicum Thuanus iam tum familiariter verſabatur; poſtea Florentiam à Franciſco duce magnis præmiis euocatus, in Piſana academia diu medicinam docuit, & Florentiæ poſtremo ad longæuam ætatem conſenuit. erat tum Patauij Niphus, qui in Ariſtotele interpretando auitam gloriam renouare ſatagebat, & non medioci cum laude Lutetiam, dum in Foxij familia eſſet, magno auditorum concurſu docuerat, homo conſortis impatiens & cui parce laudare, æmulis perpetuo obtrectare ſollemne erat. is ægerrime ferẽs Iulium Cæſarem Scaligerum tanti nominis virum, vt in eius ingenium ac doctrinam obtrectatio non caderet, de auo ſed vulgariter ſenſiſſe, & quantũ Petro Pomponatio præceptori ſuo tribueret, tantum illi in ſermonib. detrahere ſolitum, iras quas in parentem coquebat, in filium euomuit, & cum non haberet, quod in vtrumque diceret, gentis exagitandæ occaſionem cepit, cognitoq. Thuanum arcta cum Ioſepho Scaligero coniunctum amicitia, eum in arcano ſeducit, & longa oratione, vt erat in dicendo vehemens non credulo adoleſcenti perſuadere conatus eſt, Iulium parentem Benedicti Burdonis F. Scaligeri nomen mentitum eſſe, & iam tum Burdoniæ fabulæ initium fecit; quam deinde alij maligne ſparſerunt, & grandib. poſtremo libris carnificis manu puniendis magna ſua cum infamia euulgarunt. vbi tandem annitentib. Regiis miniſtris & amicis ſpes Foxio facta non ingratum eius ad vrbem fore aduentum, ipſe in viam ſe dat iam præcipitata hieme, & per Rodiginum & Lignacum facto itinere Bononiam Pontificiæ ditionis primariam vrbem venit, & Alexandro ab armis & nobilitate ciuitatis præcipua, qui obuiam cum carrucis venerat, inuitatus cum ſe diu fruſtra excuſaſſet, poſtremo in eius ædib. hoſpitiũ ſumpſit. vbi omni lætitiæ genere exceptus per aliquot dies commoratus eſt, cunctis ciuitatis ordinib. ad eum ſalutandum confluentib. venit & ad eum Carolus Sigonius, qui contentionũ cum Fr. Robortello Vtinenſi, qui iam tum deceſſerat, pertæſus, & Germanorũ, qui Robortello fauebant, concurſum non ferens Patauium primum ſtudiorum domicilium reliquerat, & à Iacobo Boncompagno inuitatus, Bononiam ſe contulerat. vbi Romanã vltimi æui hiſtoriam diligenter ac ſummo iudicio pertexuit, & eidẽ Boncompagno nuncupauit. nam prioris æui hiſtoriam & alia immortalitate digna opera Patauij ſcripſerat. cum eo Thuanus totos dies fuit, & cum ægre Sigonium Latine loqui ſciret, malebat Italice balbutire, quam non familiariter cum eo verſari. ab eo tandem expreſſit, & libros de Senatu Romano ſub Ioannis Zarij Zamoſcij, qui poſtea non Poloniam ſolũ ſuam, ſed & totum orbem nominis ſui gloriæ teſtem habuit, nomine editos, vt & Poloniam Petri Craſſini, nec non & commentarium in Agrarias Bernardini Lauredani nomen præferentem à ſe ſcriptum eſſe. vidit & Vlyſſis Aldrouandi ampliſſimam iam tum ſuppellectilem ad hiſtoriam naturalem illuſtrandã repoſitam. inde per Apenninum niuib. canum Florentiam itum, miraq. temperies quamuis media hieme ſuperato eo apparuit, quaſi aliud cælum, aliæ terræ atque adeo longe ab horridis illis montib. qui pedes eorum tangunt, poſitæ eſſent. Franciſcus princeps obuiã Foxio proceſſit, eumq. perhonorifice in ædeis Palatinas deduxit, in quib. ipſe & Ioanna Auſtria vxor habitabant. Coſmus parens adhuc in viuis erat, & in alteris ædib. Pitianis, ad quas per Palatinas media porticu ſupra Arnum itur, diuerſabatur, tranſcripta imperij cura filio, ſed dignitate & maieſtate penes ipſum manente ad eum ſalutandum cum comitatu ſuo introductus Foxius, quem in magna aula inuenit cum pileolo nocturno, ad menſam prope ignem ſedentẽ ex formoſiſſimo, qui fuerat, fuſca & lurida facie, iamq. ex morbo perculſũ, ex quo breui poſt deceſſit. exaudiebat difficulter, neq. diſtincte loquebatur, & Camilla Martellia altera vxor, quam poſt elatam Helionoram Toletanam duxerat, ei quaſi interpres aſſidua erat, & in aureis inſinuabat quæ dicebantur, & plerumq. pro ipſo reſpõdebat. cum Foxio aſſiduus erat Ant. Maria Saluiatus S. Papuli apud nos Epiſcopus, qui poſtea in collegium Cardinalium cooptatus fuit & Robertus Ridolfius, qui nuper ex Anglia, in qua Pontificis nomine occulta cum Maria Scota agitaſſe conſilia dicebatur, vix extremo deuitato periculo euaſerat. veniebat & crebro P. Victorius veneranda iam tum canitie ſenex, qui cum Thuano quando cum Foxio non licebat, aſſidue de literis verba faciebat. querebatur is iam tum bonas literas in Italia vileſcere; habere ſe multa quæ publico libenter daret, ſed ea à pleriſque non tanti æſtimari quanti conueniret. Typographos præterea & pigre & imperite in ſuo munere verſari. ſe priorib. annis Æſchylum, quem & emẽdatiorem & auctiorẽ habebat, adoleſcenti docto atque adeo Gallo dediſſe; is erat Henricus Stephanus, ſed qui negligentec

ac nimis

ac nimis diu exſpectationē ſuam remoratus eſſet. tum multa in Ciceronis epiſt. ad Familiareis, & ad Atticum ex antiquis libris annotaſſe ſe aiebat, quæ ne perirent infelici adeo ſæculo verebatur. is Thuanum ad Sanlaurentiam bibliothecam deduxit, & ei magnū volumen interpretum Græcorum in Ariſtotelem etiam non editorum oſtendit, qui Oceanus inſcriptus eſt, ac præterea Virgilium capitalib. literis exaratū, ſubinde ingemiſcens, quod antiqua Medicea tanti nominis bibliotheca, per ſeditiones domeſticas Romam & inde extra Italiam auecta erat. ea eſt quam Katharina Regum noſtrorū parens magno pretió, quantumuis Coſmo contradicente, comparatam in Galliam tranſportandam impetrauit, & per bibliothecarium peculiarem ſeorſum quamdiu vixit, apud ſe habuit, quam demum Thuanus à creditorib. eius Regis pecunia redemptam in bibliothecam Regiam inferendam curauit, & congeſtum à magnis Regibus theſaurum tanta acceſſione locupletauit. eandem fortunam minime expertus eſt Pandectes olim Conſtantinopoli a Piſanis captus, & Piſis poſtea Etruriam tranſlatus, qui in publico Reip. palatio aſſeruabatur, neque proinde cum priuatæ bibliothecæ libris vrbe exportari potuit, & nunc etiam ſeorſim in eodē palatio cum cæteris rari pretij cimeliis principis religioſe cuſtoditur. eum cum euolueret Thuanus & ex ſcriptura antiquiſſimum eſſe, & ex ligatura archetypū, ex quo omnia noſtra exēplaria deſcripta ſunt, animaduertit. nam eadem, quæ in extremo tranſpoſitio hodie paſſim habetur, illic cernitur, vt ex illo manaſſe in noſtros libros appareat; quod & Ant. Auguſtinus obſeruauit. ſubit & Cuiaciani deſiderij recordatio, qui bis mille aureos depoſiturum ſe multoties obtulit de reſtituendo Pandecte, ſi ſibi ad annum vtendus commodaretur. nam quamuis fideliſſime expreſſus putetur editione illa, quam Lælius Taurellus procurauit, multa tamen potuiſſe fugere illum & librarios, quæ proprio aſpectu & libri tractatione ſe deprehenſurum ſperabat homo felicis diligentiæ, idque Thuano ſæpe dixerat, & cum Auguſtæ Taurinorum eſſet, nihil non fecerat commendatione Philiberti Ducis, & Margaritæ vxoris, ipſis etiam ſponſorib. de [illegible]ſtitutione allegatis, vt tanti voti compos euaderet, ſed nihil impetrare potuerat. tantu[illegible] Coſmo reſponſum, ſi Florentiam veniret, fore, vt & libro ad plenam ſatietatem vti poſſe[illegible] neque ad ſe acceſſiſſe ipſum pœniteret, id vnum poſt exactiſſimam in excolenda ſua ſcientia adhibitam ſollertiam ad animum explendum ſibi defuiſſe, in eoque ſe deſiderio moriturum aiebat Cuiacius. vidit & Florētiæ Thuanus Georgium Vaſarium Aretium architectum & pictorē præſtantiſſimum, & cum per omnia ab eo duceretur, & in effigies Ioannis & Garſiæ Coſmi filiorum, de quorum calamitoſo fato clam aliquid inaudiuerat, incidiſſet, in arcano ipſum rogauit, an quæ iactaretur, vera eſſent, & ille ſilentio annuens famæ occultæ fidem fecit, & Coſmum id quamuis iuſte & generoſe factum enixe tegi voluiſſe confirmauit, ne æmoli initio fundati Imperij materiam inde obtrectandi arriperent. Florentia Senas ventum, recenti adhuc Gallici nominis apud populareis memoria, cuius ſitū Thuanus iam tum de hiſtoria ſcribenda cogitans diligenter luſtrauit, vt longæ obſidionis ſpeciem curioſa locorum contemplatione animo altius infigeret. dum in vrbe eſſet Foxius, Alexandrum Picolomineum veneranda canicie ſenem in ædib. ſuis inuiſit, quem culcitæ incumbentem, & Ariſtoteli ſuo, hoc eſt à ſe diuerſis explicationib. illuſtrato, recognoſcendo vacantem improuiſus inuenit. nam ſolus erat, & famuli huc illuc per feſtum diem diuerſi abierant. quod ille anxietate ſumma excuſauit, & gratias Foxio pro tam honorifica ſalutatione egit, tum ſedere iuſſis qui cum Foxio aderant, in iiſque Thuano, multa de ſtudiis ſuis diſſeruit, eorumque ſe demum in ea ætate dulciſſimum fructum capere dixit, aliis oblectamentis deficientib. quibus aliæ ætates innocenter & citra offenſam gaudere poſſunt. quod cum dicebat, non tam ſenectuti ſolatium quærere dicebatur, quam adoleſcentes qui aderant, qua humanitate erat, ad deſidiam vitandam & Philoſophiæ ſtudia capeſſenda exemplo ſuo cohortari. Senis Lucam diuertit Foxius, quod ad illam temp. literas à Rege & nouo Poloniæ Rege haberet, & amicos ex illa nobilitate complureis viros graueis. itaque non ſolum vt orator Regius, ſed vt Reipublicæ amicus quam honorifice & amanter cum toto ſuo comitatu exceptus eſt. CIↃ IↃ LXXIV. vnde triduo Romam itum, per Faliſcos & Viterbium facto itinere, vbi ad Balnea-Regia luſtranda, locum fontibus ingenti mole ſcaturientib. & artificio admirandis nobilem & à Gambara Cardinali ſumma cura exornatum. noctu vrbem Foxius ingreſſus eſt per pontem Miluium, & inde ab Oratore noſtro ad Pontificem in arcano deductus. nam aliquot poſt dies publice auditus eſt, & Thuanus aliique nobiles ad B. pedum oſculationem admiſſi. tum Foxij cauſſa ante X.I annos terminata rurſus in diſceptationem deducta, & ad delegatos Cardinaleis remiſſa magno errore, & maiore Foxij ac Regij nominis damno. ſed errorem excuſat, quod Armeniacus Cardinalis proxima Foxio cognatione coniunctus, ad quem inuiſendum ille Lugduno Auenionem diuerterat, ampliſſima ſacerdotia in eius gratiam eierare in animo habebat, quod & tandem fecit. is vero iam pœne octogenarius vrgebat, vt Foxius res ſuas Romæ conficeret, & Foxio ſpes ab iis, qui in occulto minus ei bene volebant, fraudulenter facta, ſi rem Pontifici committeret, fore vt negotium breui finem acciperet. ita vir bonus in errorem inductus, ex quo vix poſt decennium ſe extricare potuit. Hei rem commemoratione dignam quam Thuanus in commentarios priuatos relatam in ſuis Hiſtoriis

rum libris omiſit, quod annum, quo id accidit, certo neſciret, minime reticendam duxi. aiebat Foxium indigne in luris ſui perſecutione in illa aula habitum, prenſandis Cardinalibus fatigatum die quodam poſt prandium ad Proſperum Sanctæ crucium veniſſe. & quia iam non Regis res, ſed ſuas agere videretur, quod illi ſummo probro vertebat, conſilium ab homine Regij atque adeo Gallici nominis perſtudioſo exquiſiſſe, quo ſe decore ſaluo cum bona Pontificis venia tam perplexo negotio expediret. is initio bellorum ciuilium oratoris Pontificij munere apud nos defunctus Reginæ commendatione in Collegium Cardinalium allectus fuerat, & arcanorum Regni particeps effectus, rara fide & prudentia res inter Pontificem Reginamque adminiſtrauerat, vt vel ex illuſtriſſimi Ludouici Gonzagæ Niuernij ducis ad Sixtum V commentariis patet. cum igitur eandem charitatem retineret, ac præterea ſciret Paullum Reginæ, cui honoris & fortunarum amplificationem præcipue debebat, percarum eſſe; eum ad cryptam in ædib. ſuis ſeducit: erant enim iam Maio ineunte intenſi eo anno calores; cum Thuano, quem quod eum parente eius amicitiam, dum in Gallia eſſet, coluiſſet, ad ſecretum admitti voluit. ibi multa de cultu ſinceroque ſuo erga Regem Reginamque obſequio præfatus, præcipuoque in Foxium, cuius virtutem & integritatem ſuo pretio æſtimet, affectu; Cogis me, inquit, vir Illuſtriſſime, in tuam gratiam ea recludere, quæ in aula noſtra ſumma ſilentij reuerentia teguntur, cui illud ingenium eſt, vt exquiſita ſeueritate, cum occaſio ſe offert, & impune licet, in exteros vtatur, & ſi quis dignitate præſtans ei ſe ſubiiciat, eam cauſſam longo comperendinationum ſufflamine protelari gaudeant, dum interim per gentes toto orbe fama vulgatur, & noſtri nominis terror ſpargitur; quæ ſeueritas eo vſque valet, quo vſque vel infirmitate vel religionis metu toleratur. nam ſi aliquis princeps exiſtat, qui neutro attineatur, caute ac ſumma diſſimulatione ab ea ſeueritate diſceditur. fama ſi quidem & hominum patientia huius aulæ ſtat maieſtas, & quod valet Florentinus dixit, iis rebus, quæ aliis imperiis ſunt exitio, conſeruatur. id tibi dictum eſto; à quo dubito & candor meus & fides tua, & eius qui hæc tecum eſt, vel in hac ætate prudentia requirit, vt à nemine reſciſcatur. enimvero mihi dolet, quod a principio in partem conſilij, quod nunc petis, non admiſſus ſim; ſic enim futurum erat, vt quod nunc pœnitentia vix emendari poteſt, prudentia melius inſtructus anteuertiſſes. dicam tamen, & exemplo recenti, eoque domi non foris petito te docebo. Noſti Galeacium Sanſeuerinum Caiacij comitem, quem nunc audio apud vos deceſſiſſe. is in gratia Regis Chriſtianiſſimi floruit, eique poſthabitus fuit Hadrianus Balennus Aſtoris, qui Famaguſtæ in Cypro nuper periit, frater, & ipſe hac in vrbe paucos ante dies extinctus. leuis armaturæ primarius tribunus vltimi belli, Galeacius fuerat, quibus ante quadriennium compoſitis ſtudio ſuos videndi & reculas, quas in Gallia ciſpadana habebat, ad vos tráſferendi Bononiam venerat, vbi ſiue liuore ſiue delatione eorum, quorum intererat, ne ſua per abſentiam occupata, recuperaret, ſiue odio ſectæ, quam profiteri dicebatur, à S. officio comprehenſus, & Romam continuo ductus eſt; quo nuncio vltra modum ferunt commotum Chriſtianiſſimum Regem, qui protinus Sangoartium ex veſtra nobilitate notum equitem, qui nunc vt audio apud Catholicum Regem oratoris munere fungitur, Romam miſit, & hominem atque adeo officialem ſuum, in quem proinde animaduertendi nulli ius eſſet, per eum repetiit, dato etiam per literas mandatis, vt illum quauis ratione ſecum reduceret. Sangoartius vbi ad vrbem venit, & admiſſus quid in mandatis haberet, expoſuit, Pontifex qui ad aulæ ſeueritatem ingenij peculiarem in his rebus duritiem adiunxerat, mirari ſe dixit, Regem Chriſtianiſſimum pro ſectario, quem ad pœnam trahi gaudere debeat, partes ſuas interponere; tamen quod eum tam enixe hominem obnoxium repetere videat, de re mature conſulturum, & effecturum, vt Rex Chriſtianiſſimus ſuas petitiones ſibi curæ fuiſſe intelligat. ita primo dimiſſus Sangoartius, qui poſt paucos dies rurſus auditus eſt, & cum videret rem de die in diem duci, & ad Cardinalium congregationem remitti, ſibi dolere dixit, quod aduerſus Senatus ſeueritatem non minus ſeueris mandatis agere iubeatur, quæ niſi intra triduum Regi tradito ſuo officiali ſatisfiat, expromere cogatur. id ſe Pontifici denunciare, vt intra tempus illud pro prudentia ſua ſtatuat, an non è dignitate ſua, & S. S., quam in reſponſionibus ſuis ſemper obtendebat Pontifex, potius ſit Principi tam bene de eccléſia merito gratificari, quam iniuſta cum repulſa prorſus à ſe alienare. nam officialis ſui ſeque vindicem appellantis periculum diutius non poſſe negligere, atque ad animum iniurioſum illius carcerem tanquam iniuriam ſibi denato factam reuocare. videat igitur, & quid e dignitate & ſua & Regis Chriſtianiſſimi ſit maturе apud ſe conſideret. ſe poſt triduum non petita audientia compariturum. triduo exacto cum eadem à ſeueritatis exactæ Pontifice regererentur, & noua comperendinatione petitiones ſuas eludi cerneret, Sangoartius poſt XV dierum, tot enim circiter in vrbe fuerat, moram ſibi amplius expectare liberum non eſſe reſpondit; tantum reſponſi, quod Regi ſatisfiat, impetrandi intra illud tempus facultatem cóceſſam, quod ſi non obtineat, iubere Regem, quod huc vſque facere diſtulerat, vt Pontifici denunciet, ipſum decreuiſſe oratorem ſuum, quem Romæ habet, is erat Carolus Angenneus Cenumanorum epiſcopus, qui mox in Cardinalium collegium cooptatus fuit, domum reuocare, ſibique iniunctum, vt eum ſecum reducat: ſi quæ

grauiora

grauiora negotia incidant miſſurum oratores ſuos. interim de negotiis, quæ in hac aula ſint
ordinaria per trapezitas & procuratores apoſtolicos acturum. poſt hanc denunciationem
nec alio expectato reſponſo, ſe è veſtigio oratori Regio, quem iam monuerit, regis nomine
edicturum, vt ſe poſt biduum ſequatur. hæc verba qua erat animi præſentia cum Gallicana
libertate protuliſſet Sangoartius, & quod olim Popilius Lænas S.C. Antiocho porrecto fe-
ciſſe memoratur, quaſi circulo Pontificem circumſcripſiſſet, vt eligeret, amicitiam nec ne Re-
gis Chriſtianiſſimi vellet; imperioſus iuxta ac moroſus ſenex mirum in modum excanduit,
& tamen ſic Sangoartium dimiſit, vt ſe amplius cogitaturum & Regi ſatisfacturum reſpon-
deret. illo diſcedente exclamare Pontifex, Dei hominumque vbique fidem & opem implo-
rare, oculos & brachia huc illud circumferre; actum eſſe de religione, vim libertati Eccleſia-
ſticæ afferri, Regem puerum, qui Chriſtianiſſimi titulos, ſibi ſumat, male conſultum ſectario-
rum patrocinium ſuſcipere, & quod extremæ contumeliæ loco reputet, hominem ebrio-
ſum ad ſe allegaſſe, qui præfracta audacia ſe & ſacroſanctum vniuerſalis Eccleſiæ Senatum
qui Romæ penes ſe ſit, in ordinem cogere præſumpſerit. poſt has & ſimiles quiritationes re
cum fidis iiſque præſertim Cardinalibus, qui de cauſſa cognituri erant, ſtatim communicata,
cum ſeriò agere Sangoartium, & quod verbo dixerat facto executurum appareret, expedire
viſum, vt nulla dilatione interpoſita, antequam per contentiones id euulgaretur, Gaiacius
in Galliam ad Regem reducendus Sangoartio traderetur, iſque in arcano moneretur, caue-
ret, ne mandata, quibus vſus erat, potius ad publicam offenſionem, quam ad Regis dignita-
tem ſpectantia emanarent, ſatiſque haberet, quod voti compos gratificationem Regis deſi-
derio reſpondentem à Pontifice impetraſſet. quia vero ebrioſum Sangoartium per iram Pius
vocitauerat, in mores temperantiſſimi viri ex ea occaſione anquiſitum, compertumque eum
non ſolum vino omnino abſtinere, ſed vix poculo aquæ ter in anno ſitim reſtinguere; hoc
ſi initio in conſilium adhibitus fuiſſem, pro dignitate tua, & communi amicitia, libere mo-
nuiſſem. nunc quoniam res amplius integræ non ſunt, aſtu eorum, qui te in has ambages in-
duxerunt, ſupereſt, vt de diſceſſu hinc quam fieri poterit honorifico captata occaſione quam-
primum cogites. nam omnis heic mora deinceps non ſolum infructuoſa ſed dignitati tuæ &
Regij nominis decori detrimētoſa erit. cum vero ad tuos redieris, fac vt, quod in Gaiacij lon-
ge diſpari cauſſa & ſub Pontifice longe diſſimili feliciter ſucceſſit, auctoritate Regia vtaris,
quę niſi tibi negotium confectum dederit, fruſtra id à ſalutationibus, prenſationibus, nec ni-
ſi longo ac detrimentoſo tibi tempore potes ſperare. his dictis Santacrucius Foxium rogauit,
monitorum memor eſſet, ceterùm monitoris obliuiſceretur. dum cauſſa inter Cardinaleis
agitaretur, Oſſatus, qui Foxio à ſtudiis erat, à literis ad negotia primum ex ea occaſione
animum tranſtulit, & cauſſæ merita in breuiarium lucido ordine coniecerat, cuius
exempla Cardinalibus tradita ſunt, & iam tum coniecturam peritiores fecere, fore, ſi
diutius in illa aula moraretur, vt & magno in pretio haberetur, & ad ſummos honores
viam ſibi ſterneret, quod & accidit, antea petita à Foxio venia Neapolim profectus eſt
Thuanus exeunte Februario, & iam adulto illis locis vere, & per Velitras, Tarracinam,
Fundos, quod eſt initium ditionis Neapolitanæ, facto itinere ad vrbem per cryptam
puluerulentam, qualis a Seneca deſcribitur, in Pauſilyppo excauatam venit, in qua
Ioannem Baptiſtam Portam ſcriptis de naturali hiſtoria abſtruſiore, quæ plura poſtea fe-
cit, iam notum vidit, & inde Surrentum & Salernum vſque excucurrit, miratus vtrobi-
que cœli ac ſoli amœnitatem, Mergillinæ item Virgilij & Sannazarij tumulo & maris
proſpectu nobilem: tum Puteolos & ſpectabilia circum loca luſtrauit, & inde Romam pro-
pere redijt, hoſpitiorum incommoditatibus adeo fatigatus, & emaciatus, vt non ex profe-
ctione redire, ſed ex graui morbo ac longinquo reſpirare videretur. interea ſtudia domeſti-
ca minime intermiſſa, & ipſe Oſſatus coram Foxio per illos æſtus pomeridianis horis Alex.
Picolominei Sphæram nobilibus domeſticis prælegebat & alternis vicibus ille & Foxius,
ſic enim fieri conſueuerat, interpretabatur. Thuanus qui præcipuus vt iuſque auditor erat,
dum per ſemeſtre in vrbe fuit, amicitiam doctorum virorum pro more & inſito literarum
amore ſibi ſedulo conciliauit, & imprimis M. Ant. Mureti, cuius iudicium tanti à Ioſepho
Scaligero fieri meminerat, vt quantum ille Iulio parenti tribuebat, ei non minus ipſe
tribueret. itaque quicquid à Foxij comitatu, in quo adſiduus erat, temporis ſuffurari
poterat, id itando ad Muretum impendebat, eiuſque iudicium de viris doctis qui in vrbe
tunc erant, diligenter exquirebat. ab eo de Scipionis Tertij Neapolitani caſu cogno-
uit, hominis vndecumque vt ille aiebat doctiſſimi, qui delatus quod male de numine
ſentiret, remo mancipatus fuerat, & tunc an adhuc in viuis eſſet, incertum erat. do-
lebat & Aonij Palearij Verulani, & Nicolai Franci Beneuentani vicem, qui, ille qui-
dem ob nimiam in pietate ſimplicitatem, ſic enim loquebatur, ad ignem, hic ob inuiſam
cœlo Romano in ſermocinando libertatem ſub Pio V ad furcam eſt damnatus. ad a-
ram cœli, id Franciſcanorum ædi nomen ſupra S. Marci palatium, quo Pontifex per anni
æſtus ſecedere tunc conſueuerat, Foxio aſſignatum hoſpitium fuerat, heic crebro

ventitare Muretus, qui & inde Thuanum ſemel atque iterum ad Paullum Manutium iam decumbentem deduxit. vidit & in vrbe Latinum Latinium, Laurentium Gambaram, & omnium ſecundum Muretum familiariſſime Fuluium Vrſinum, qui in Farneſianis ædibus habitabat. iam Octauianus Pantagathus, ad meliorem vitam migrauerat, cuius magnum in literis nomen, & dignus tanto magiſtro diſcipulus Onuphrius Panuinius Scaligero, cum Romæ eſſet, & ob raram in omni antiquitate R. ſeu profana ſiue ſacra doctrinam & patriæ ratione percarus Panhormi in Sicilia nuper fatis deceſſerat. Foxium Romæ hærentem & male inchoato negotio exitum fruſtra circonſpicientem funeſtus de morte Karoli Regis nuncius oppreſſit, quæ illi vt triſtis, ſic honeſta hinc diſcedendi cauſſa extitit, Philippo Boncompagno Cardinali à Gregorio patruo ad nouum Regem, qui e Polonia ſubito rediens, iam in Venetis finibus eſſe dicebatur, ſalutandum cum Legati dignitate miſſo: quem Foxius petito à Pontifice commeatu mox ſecutus eſt, & per Vrbeuetum, Interamnium, Narniam, Liuij forum, Spoletum, Vrbinum, relicto ad dextram Piſauro, & memorabili amniculo Rubicone tranſmiſſo Ariminum citatis equis cum omni comitatu ſuo peruenit. cum Vrbini eſſet, vix paucarum horarum ſpatium Thuano conceſſum eſt, dum Foxius cum principe eſſet, ad palatium ſtructura nobile luſtrandum, & bibliothecam per tranſennam viſendam, quæ tereo aſſeruatur, quæ illi per Fridericum Commendonum patuit, plus ipſius Commendoni, quam bibliothecæ, cuius tantum ſedem inſpexit, videndi cupido. Arimini conſcenſa bireme Rauennam vento paullum vehementiore delati ſunt; ibique Thuanus Hieronymum Rubeum vidit Luculentum antiquitatum vrbis ſuæ ſcriptorem, quas vna & altera editione multum illuſtrauit, & patriam in vltima illa antiquitate cum Sigonio feciſſe videre voluit. inde Foxius eodem nauigio Venetias appulit, antequam Legatus Pontificius qui diuerſo itinere quamuis per citatos incedebat, eo veniſſet. Venetiis aſſumpto Arnoldo Ferrerio comite per Iulij forum in Dalmatiam vſque perrexit, & obuium nouum Regem vna ſalutauerunt. cum eo erat Pibracius e periculo recenter elapſus; de quo multus inter eos ſermo, & Pomponius Bellievreus, vnde Venetias reditum eſt, vbi quid actum ſit, & toto Regis per Italiam itinere in Hiſtoriarum libris perſcriptum eſt. Interea Thuanus Venetorum librariorum apothecas veſtigabat, inde comparato magno librorum præcipue Græcorum, qui apud nos rariores, numero bibliothecam iam inchoatam multum locupletauit. in diſceſſu cum commeatum à Ferrerio peteret, ab optimo & ſapientiſſimo ſene pro amicitia, qua parentem eius iam à tempore Mercurialis conuentus proſecutus fuerat, cum multa beneuoli animi teſtatione dimiſſus eſt, & quoniam eum ſacris deſtinatum, quod in plurium liberorum familiis fieri amat, reſciuerat, inſuper monitus, in vitæ genere deligendo videret, & vires ſuas expenderet, vt potius ad Dei gloriam & cæleſteis opes reſpexiſſe, quam de iis quas tinea corrumpit, cogitaſſe videretur; alioqui fore, vt ampliſſima illa vectigalia, quibus ad explendas cupiditates plerique hodie abutuntur, non beneficia ſicut vulgo vocantur, ſed veneficia eſſe, magno ſuo cum dedecore, & æternæ vitæ diſpendio, experiretur. quæ vox iam tum alte illi in pectus deſcendit, & poſtea ad capeſſendum in vitæ genere eligendo conſilium magnum momentum attulit. Rex Venetiis Ferrariam cum tota aula venit, vnde miſſus Foxius Romam, vt Pontifici pro iam honorifica ad ipſum decreta legatione gratias ageret. cum Thuanus profectus eſt, & per Bononiam facto itinere, Florentiam venit. vbi Franciſcum ducem atratum obuium habuit, nam paucos ante menſeis Coſmus pater deceſſerat, eo moerore ſui deſiderio, quod ſontico morbo præpeditus, diu antequam moreretur, inter viuos eſſe deſierat. ibi Thuanus memor Muretum Zoſimi, qui hiſtoriam Eunapianam contraxit videndi deſiderio tantopere flagrare, & quia exemplar, quod in Vaticana bibliotheca aſſeruabatur, habere non potuerat, Florentinum vt habere poſſet Foxij interuentu ſperaſſe, Foxio autem vellet, vt illius ad aliquot menſeis vſum à Franciſco impetraret. quod initio conceſſum, ſed poſtea compertum, vt Romæ, ſic Florentiæ Pij V temporibus interdictam huius libri lectionem fuiſſe. adeo ingens illud odium, quo Zozimus pollente ſanaticorum Gentilium ſuperſtitione ob infeſtum in Chriſtianos animum, & quædam in Conſtantinum & Theodoſium libere dicta flagrabat, in animo pij ſenis poſt tot ſæcula adhuc recens erat, vt idem metus, qui Euagrij tempore Chriſtianos nondum bene confirmatos inuaſerat, abolitis penitus gentium erroribus, & Chriſtiano nomine vbique conſtituto ipſum nunc etiam inceſſeret: per Senas inde Romam ventum, cum toto Latio incenſis poſt meſſem ſtipulis cælum ardere videretur. vbi de Zozimo Thuanus Foxium apud Muretum excuſauit, & fore dixit, vt quamprimum in Galliam reuerſus eſſet ſi vſpiam aut apud nos aut in Germania exemplar Zozimi extaret, daret operam, vt eius deſiderium expleretur. quod & ſedulo fecit, ſed fortaſſe ſerius, vt in ſequentibus apparebit. poſt aliquot dierum moram Foxius officio defunctus ad Regem reuerſus eſt, & vbi Senas venit, relicta ad dextram Florentia Lucam diuertit, ibique peramanter, vt prius, exceptus, inde per Piſas, Piſtorium, Petram-Sanctam in Liguriam deſcendit, & Genuam

& Genuam prouinciæ caput venit, ac protinus luſtrata ciuitate in Taurinos ire perrexit, quo iam Rex peruenerat. Hinc iuſſi omnes ne in Alpium tranſitu anguſtis hoſpitiis ſe turba impedirent, & Regi moleſti eſſent, Lugdunum ſe conferre. ibi Thuanus Ioannem fratrem grandiorem libellorum ſupplicum magiſtrum nactus aliquanto tempore manſit, dum nouæ in aula faciei cuncti aſſueſcerent; quo tempore deliberatum in Regni ingreſſu, bellum cum Proteſtantibus gerendum eſſet nec ne; in eaque deliberatione Foxius cum Villo claro commiſſus eſt, cum iam in arcano res decreta eſſet, qua de re cum ſuſpiriis Foxium acriter conquirentem vidiſſe ſe Thuanus aiebat, ac ſore dicentem, vt temere capti conſilij tam pernicioſi pœnitentia breui ſubiret. vt Venetiis ita Lugduni magnam librorum copiam ſibi Thuanus comparauit. apud Ioannem Tornæſium & Gul. Rouillium, qui in ſuo herbario Iacobi Dalechampij ope, & in Bibliis Salmanticenſibus iuxta Hiſpanicam cenſuram cudendis, iam tum laborabat. poſt menſem Ioannes domum repetiturus cum Thuano Foxium adit, & tam patris quam ſuo nomine actis gratiis ab eo petiit, vt cum bona ſua gratia fratrem ad parentem communem reducere liceret. quod à viro humaniſſimo tandem impetratum, etſi inuitus faceret, vt eum cuius tantopere iucunda conſuetudine vſum ſe teſtabatur, antequam cum tota aula ad vrbem veniret, à ſe dimitteret. ſed quia bello decreto Rex in Prouinciam deſcenſurus erat, patris deſiderium diutius remorari noluit: quem ambo fratres ad Cœliacam villam in Vaſtinenſi agro per autumnaleis vindemias rebus prolatis cum conjuge dilectiſſima feriantem nacti ſunt, perbenigne excepti. ex Italia reuerſus Thuanus domo ſe tenuit, literis vacaturus, & librorum lectioni totum quadriennium impendit. ſed nec tam priuato ſtudio, quam amicorum literatorum colloquiis ac conſuetudine profecit; in quibus primas ferebant Petrus & Franciſcus Pithœi fratres, Anthon. Oiſellus, Iacobus Hollerus, magni illius Hollerij digniſſimus filius, & Claudius Puteanus, qui ſub id in Senatum cooptatus, Claudiam Sanguineam proxima ſecum cognatione coniunctam in vxorem duxit, eoque vinculo, qui iam doctrinæ & virtutis opinione coaluerant, arctius deinceps vniti ſunt. ſed omnium maxime cum Nicolao Fabro coniunctiſſime ac diutiſſime vixit, in quo pietas cum prudentia, cum moribus doctrina, cum comitate grauitas certabant, de quo poſtea plura dicenda erunt. ita hic annus exactus. Sequenti Rex rebus in Prouincia & Septimania vtcunque compoſitis poſt Caroli Lotaringi Cardinalis mortem, iam de vxore, quam ab initio expetiuerat, ducenda certus per Æduos in Campaniam venit, & Durocortori Remorum inauguratus eſt, ac poſtridie Aloiſiam Lotaringam Nic. Valdemontij comitis F. matrimonio ſibi iunxit; quò Chriſtophorus Thuanus Senatus princeps cum Ioanne & Iacobo filiis profectus eſt.

CIↃ IↃ LXXV.

ſub exitum huius anni hinc Franciſcus Regis frater, hinc Nauarrus diuerſi aula diſceſſerunt, eorumque diſceſſu res in Regno turbauere. Regina parens, vt filium reduceret, ad Lochias vſque in Turonibus proceſſerat, quo & ſecum duxerat Fr. Momorantium & Arturum Coſſæum E. T. nuper carcere emiſſos, vt concordiæ inter fratres ſarciendæ veluti pararij eſſent, quod ille, qui plurimum auctoritate poterat, depoſito omni præteritæ iniuriæ ſenſu ſumma fide fecit. res nouas moliri in aula quidam dicebantur, quod vt impediretur, miſſus cum ſecretis mandatis ad Momorantiũ Thuanus, vt partes ſuas interponeret, fecitq. vt molitiones pro tempore ſucceſſu caruerint. edictum deiu ſecutum, quod exorto ſtatim bello reuocatum eſt.

CIↃ IↃ LXXVI.

eodem anno ex occaſione maiorem Belgij partem luſtrauit Thuanus & paullum abfuit in Britanniam tranſiit. per Senatus ferias in Bellouacos conceſſerat, quò & Chriſtophorus patruelis in inſula Francia magnus ſiluarum & fluuiorum, vt vulgo vocant, magiſter cum Io. Longolio Maiſonio cum vtroque cognatione coniuncto. hinc ex compacto Abbatis-villam itum & inde per Bononiam, Caletum vtrobique à præfectis accepti. indee per arenarias ſecundum mare porrectas tranſmiſſo Ata, qui limes vtriuſque ditionis, Grauelingam ventum, & relicto ad dextram Borborgo eodem die Dunkerkam vrbem bellis vltimis incendio conſumptam, & pulcerrimis ædificiis denuo inſtauratam, quæ vt & Grauelinga & Borborgum Lucemburgicæ familiæ patrimonialis eſt, & ſucceſſione ad Nauarrum eius heredem primarium deuenit. in ea pernoctatum, ac poſtridie Neoportum opidum ad maris aggeres ſitum ædificiis pulcerrimis, vt cuncta fere illis locis opida, ſpectabile. iam res in Belgio tumebant, ob Hiſpanorum veteranorum non ferendam propriis tribunis ac multo minus popularibus inſolentem audaciam; itaque omnia in armis erant, & Galli cateruatim alieno tempore, vt ipſis videbatur, incedentes ſuſpicionem præbuerant, quaſi ad famam rei veniſſent. igitur à milite ſiſtuntur cum Aldenburgum peterent, & mane Brugas Flandrorum ſub cuſtodia, ſed ſine iniuria deducti. ibi in Franconatum Conſilio qui ſummus vrbis magiſtratus eſt, diuerſi ſeorſim interrogati, cum conſtitiſſet, iuuenes non alio conſilio quam peregrinandi animo in hæc loca veniſſe, per Franciſcum Nanſium primarium decurionem, eis denunciatum eſt, licere vrbem libere luſtrare, ceterum prudenter facturos ſi ſe quamprimum ad ſua reciperent. ita libere dimiſſi, & homo humaniſſimus de Pithoeis & Puteano diligenter Thuanum percontatus eſt, &

ille viciſſim de Huberto Goltzio, qui in Franconia natus in illa vrbe lares fixerat, & tunc forte aberat. in ea miratus eſt Thuanus ædificiorum amplitudinem, vt totidem arces & palatia dixeris, tum crebros canaleis tot pontibus lapideis à quibus vrbi nomen, permeabileis, vt vias numero æquent, ſed rarius iam tum habitabatur, tacita, vt creditur, iniuriæ Maximiliano Cæſari ante $\overline{\text{C}}$ annos factæ & tunc inultæ, quaſi laneis pedibus incedente vindicta. nam iam tum commercium Antuerpiam attributis immunitatibus tranſlatum, quo creuit noua vrbs frequenti illo mercatorum Brugis paullatim dilabente & in Atuaticos migrante concurſu. Gandauum Brugis itum motib. domeſticis famoſam vrbem ad extremum ipſi exitioſis, cuius priſtina magnitudo ex conditione, ad quam hodie redacta eſt, æſtimari poteſt. Antuerpiam tranſmiſſo Scaldi ventum, vrbem ſitu opportunam & ſtructura pulcerrimam, & tunc adhuc quamuis poſt arcem impoſitam opulentiſſimam. vrbi præerat Fridericus Perrenotus Campaniacus, ad quem Galli deducti, & Thuanus pro ſociis verba fecit, & deſiderio videndi iuuenib. inſito intempeſtiuam peregrinationem excuſauit. libertate facta quiſq. ad ciuitatem luſtrandam diſcurrit, Thuanus ad Chriſtophorum Plantinum diuertit, in cuius ædib. licet rebus acciſis tunc adhuc $\overline{\text{XVII}}$ prelis operæ feruebant. ab eo didicit de ſtatu prouinciarum, eo res illarum redactas, vt niſi Ordines præuerterent, inſigni clade ab Hiſpanis opprimerentur. poſt aliquot dierũ moram; cum vlterius progrediendi & in Hollandiam tranſeundi ſicuti ab initio cõſilium fuerat, ſpes per motus eſſet præciſa de reditu cogitatum eſt, & Mechliniam primũ, dein Louaniũ ventũ, in quo miranda tot ſcholarũ & collegiorum, quæ vulgò vocant, egregie conſtructorum frequentia, & vrbs ipſa Patauio Academia & gymnaſiis adeo celebri in Venetis ciuitate non minor viſa. Luſtratum & in proximo Cæleſtinorum egregia mole cœnobium à Gulielmo Croio Cheureo pueritiæ Caroli $\overline{\text{V}}$ ſapientiſſimo moderatore ædificatum, in quo ſibi & illuſtri familiæ monumentum in poſterum poſuit. Louanio Bruxellas itum, cum pridie ordines conſpiratione facta conſilij Regij aſſeſſores, qui Hiſpanorum partibus fauere dicebantur, in carcerem truſiſſent, Gul. Hornano Heſæo facti duce. res illic erant admodum turbatæ. itaque paucos dies commoratus Thuanus luſtrata vrbe aula principum & palatiorum à prouinciarum regulis in edita vrbis parte per circulum extructorum multitudine, & ſalutato in hoſpitio proximo, Vlrico Viglio Zuichemo, nam licuit hoc illi per ſatellites cuſtodiæ adhibitos, habito inſuper cum Cl. Mondolæro, qui res Regis in illa aula procurabat, colloquio diſceſſum eſt, & per municipium, cui ab Hallenſi Virgine nomen, Montes Hannoniæ ventum, recenti adhuc captæ vrbis à Ioanne Caluimontio Guitrio memoria. inde per Valencenas, nec vrbe propter motus intrata, Cameracum Galli venerunt, quod à Perona noſtra $\overline{\text{VII}}$ circiter leucis diſtat. Heic finis Belgicæ peregrinationi factus; cum iam non minus metuendi motus apud nos arderent, qui dum turbidis conſiliis plus iuſto auſcultatur, temere accenſi, poſtquam rex melius conſultus

CIƆ IƆ LXVII. reſipuit, condito nouo edicto anno ſequenti ſunt reſtincti. Dum Pictauij Rex eſſet, pluries Ioannem Thuanum Iacobi fratrem, hominem magni animi & roboris Lutetiam ad Senatum atque adeo ad Chriſtophorum parentem per diſpoſitos equos miſit ardente admodum eo anno æſtate, & ille virium fiducia fretus vltima vice Pictauio Longemellum intra $\overline{\text{XXIIII}}$ horas vſque venit, qua re tantam naturæ vim intulit, vt nuſquam reſtaurari potuerit. inde lenta febre primum tentari cepit, dein graui & diuturno morbo oppreſſus prorſus concidit, & antequam moreretur, dum ægrotaret pleroſque filios pæne infanteis amiſit, ita vt ad vnum maſculum, qui adhuc hodie in viuis eſt, & tres filias tantum numeroſa ſoboles redacta eſſet. magnum eo caſu dolorem ſenſit Thuanus, qui fratrem cariſſimum cottidie deficientem videbat, & eo ſublato quaſi extinctam familiam aſſiduuſque in domo illius erat

CIƆ IƆ LXVIII. triſtitia pæne enectus cum Renata Balieta rari exempli femina, quæ virum iam tum ante mortem inſolabiliter lugebat. menſeis $\overline{\text{XIX}}$ decubuit Ioannes, quo temporis ſpatio Thuanus in ampliſſimum ordinem allectus eſt, in locum Ioannis Sagnij Gardæ è ſacro ordine Senatoris digniſſimi, qui cum periculoſiſſimo morbo laboraret nunquam Thuanus pro cuiuſquam quam pro ipſius ſalute ardentiores preces ad Deum fudit, quod ſciret eius dignitatem à Rege patris commendatione ſibi deſtinatam; & inuitus faceret homo pudens & honeſti otij cupidus, vt ſtudio literario, in quo adſiduus erat, relicto deinceps ad longe diuerſa ſtudia & vitam inquietam migraret. ſic tota quippe vita ſe geſſit, vt honores, ad quos natus erat, non tam defugerit, quam ad eorum ingreſſum exhorruerit, & quaſi dæmonio Socratico reuocante retro pedem retulerit: veritus nimirum, ne iis ſe minus dignum præberet, & expectationem de ſe conceptam fruſtraretur: de cetero vota ac metus, ſeque & ſua omnia prouidentiæ Dei crederet, & de futuro, quantum ad ſe, ſecurus ipſum ducentem ſequeretur. nam alioqui de re publica iam in prima adoleſcentia, cum adhuc priuatus degeret, nemo ſollicitior, nemo magis cetera vitæ anxius fuit, adeo vt cum dãna domeſtica patientiſſime ferret, malis eius, quæ raro fallente augurio præſagiebat, antequam euenirent, vltra modum & cum valetudinis plerumque diſpendio adfligeretur, & nunc etiam amicis eum propterea ſæpe increpantib. adfligatur. igitur mortuo Garda, & allato diplomate,

quod

quod primum Philippus Huraltus Chenernius ipſius ſororius nuper Procancellarius creatus obſignauit, vt patri morem gereret, & ne ſi aliter faceret, ſibi ac familiæ deeſſe videretur, examini ſe ſubiecit, ad quod pallens tremenſque acceſſit, non vt alij plerique qui ad tremendi loci limen ferream frontem & Stentoream vocem afferunt. examini præerat Petrus Seguierius; poſt eum ſedebat Bernardus Preuotius Morſanus, Pomponius Bellevreus nuper præſes in locum Renati Balieti creatus, poſtea ad ſolſtitium honorum euectus. per bihorium de iure interrogatus coram numeroſo ſenatu, vt fit, & inter alios cum eo Philippus à Podio Sanuſlerianus Florimondi Varañi, qui indigna morte poſtea periit, patruus, iuris vtriuſque conſultiſſimus pertinaciſſime diſputauit. tandem S.C. facto, cum ſacramento adactus ad magnam inquiſitionum claſſem pro more à Pomponio deduceretur, dum ſequitur, ominoſa vox ex deducentis ore excepta, fore, vt ipſum præeuntem ad maiora olim ſequeretur; quod ille tamen qua erat modeſtia, & quod eſſet ſacris deſtinatus, pro tempore contempſit. ſic autem in eo munere ſe geſſit, vt attente audiret, parce loqueretur, præſides ſumma reuerentia, cæteros collegas pari honore proſequeretur; ſeniorib. multum deferret, cum iunioribus amicitiam officioſe comiter coleret. inter eos familiariter vixit, cum Hieronymo Angenurio antiqui moris & multa experientia ſubacti ingenij Senatore claſſis illius atque adeo cæterarum decano, Hadriano Draco, Matheo Iordano, Nic. Brularto, qui nunc togæ princeps eſt, Carolo Marillaco Ferrerio, biennium fere à relatione abſtinuit, eamque raro poſtea vſurpauit. in ſententiis dicendis, cum in imo ſubſellio ſederet, hoc ſeruabat, vt ex iis, quæ iam dicta erant, æquiſſimam ſibi viſam probaret, laudato auctore, ne longiore oratione, niſi ad confirmandam eam opus eſſet, præterea vtebatur. initio dicendi commoueri ſolitus, in progreſſu paulatim aſſurgebat, & ita voce confirmata ſermonem proſequebatur. commotione autem illa fiebat, vt qui memoria alioqui non ita valebat, plerumque præmeditata obliuiſceretur, quorum iam dicta ſententia ſero recordabatur. cui defectui non aliud remedium quæſitum quam ſi ſcriptorem comprehenderet, & quaſi ex breuiculo ſententiam recitaret. quod poſtea in grauioribus cauſſis fecit, cum infirmitatem ſuam ingenua confeſſione excuſare minime erubeſceret. initio autem cum id facere pudendum arbitraretur, aut proxime dicenti accedens, aut ſobrio ſermone ſententiam imperfectam relinquens rem tranſigebat, & quamuis iudicio à vero rectoque nunquam fere deerraret, verbis tamen & præcogitatis argumentis multoties deficiebatur, & quaſi in fine carmen laborans, ita ſententia, labente memoria, claudicabat. itaque cum aliis rem acu tangere videretur, ipſe qui multa elabi inter loquendum doleret, in arcano ſibi nunquam ſatisfaciebat; eaque de re cum amicis familiariſſime ſæpe conqueri ſolebat. claſſi, in qua ſedebat, præerat Ioannes Texierus, Ioannis qui ius ciuile Aureliani magna cum laude olim profeſſus fuerat, F. vir probus & doctus, ſed ſenio effetus, qui ad paucos dies ſuperfuit, & cum eo Philibertus Dioüs ſacri ordinis Senator ex primaria in Heduis nobilitate, patri Thuani amiciſſimus, & qui quamdiu ædeis proximas incoluit, cottidie ad cænam adhibebatur, vir integerrimus & antiqui moris. Texiero ſuffectus fuit Claudius Falco acri ingenio & expedito præditus, & paulo poſt Dioo in patria decedente præſes creatus Bonus Broaëus ſacri ordinis itidem Senator, Reginæ matris, cui Romæ & Florentiæ in cauſſis ſuis priuatis egregiam operam nauauerat, commendatione, de quo hic obiter addi non abs re fortaſſe fuerit. Is Turnonio in pago Viuarienſi honeſtis parentibus natus, bonis literis operam dedit, ac poſtea iuris ſcientiæ, quam ſub Andrea Alciato, dum apud nos profiteretur, imbuit, & ius ipſe Toloſæ profeſſus eſt, ac Petro Villario Senatori Pariſienſi auunculo ſuo in Mirapicenſem Epiſcopum inaugurato, in Senatorio munere ſuffectus anno huius ſæculi LXI, cum ambo diu in familia Illuſtriſs. Cardinalis Turnonij, vnici literatorum fautoris, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, præcipua gratia ac dignitate vixiſſent. ad ſcientiam vtriuſque iuris iudicium acre & melleam ac vehementem eloquentiam attulerat, quam & cauſſis agendis magna cum laude in foro Pariſienſi exercuerat, ita vt cum poſtea iudex ſententiam diceret, in diſſentiendo ab aliis comis, nec refutandis opinionibus cuiquam grauis, iuris Pontificij ſpineta ciuilis amœnitate temperans tanta admiratione ac gratia, vt audientium non ſolum oculos, ſed animos ac ſenſus in ſe verteret, & Thuani inprimis, quem ſæpius dicentem audiui, hominem vnum, quandiu in Senatu fuit, vidiſſe, cui ſe voce, ore, dicendi facultate ac toto corporis geſtu ſimilem mallet. Falconi poſtea ſucceſſit ex nobilitate Carnotenſi Champronius vir ſeueri moris, qui quam doctrina proximos, tam à comitate collegæ longe aberat. his ſub ducibus, dum cauſſis priuatorum diſceptandis in claſſibus inquiſitoriis occuparetur, militauit Thuanus.

VIRI ILLVSTRIS
IAC. AVG. THVANI
REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII,
ET. IN SVPREMO REGNI SENATV
PRÆSIDIS AMPLISSIMI.
COMMENTARIORVM DE VITA SVA
LIBER. II.

QVæ diuturnitas morbi fratris ſpem feciſſet vxori, vt ex eo poſſet conualeſcere, fruſtra tẽtatis aliis remediis aquas medicatas haud inutiles futuras medici iudicabãt præſertimq. Plombinenſes in Lotaringica ditione ad Vogeſi montis radices ſalubres viſæ, quo adulto ſtatim vere proficiſcendum eſſet. Thuanus viæ comitem ſe addidit petita à parente venia, & per Catalaunũ cum fratre & eius vxore Ambarũ Ducis venit, tranſmiſſoq. Moſa & mox Moſella, & inde per Tullũ
CIↃ IↃ LXXIX
facto itinere Nancium, vbi Carolum ducem excuſata fratris aduerſa valetudine ſalutauit, à quo per humaniter acceptus eſt. inde per Nicolai fanũ locũ & religione & ſtructura ædiũ ac nundinis famoſum, Remiremontium Spinacũ, nobilium puellarum, quę votum non omittunt, nobiliſſima cœnobia, Plombinum itum, quo iam pleriq. ex Belgio, proxima Germania ac circũpoſitis prouinciis vario morborũ genere adfecti confluxerant. hinc dum frater aquas ſumeret, aſcito linguæ Germanicæ perito viæ comite, Thuanus per Bruſiam ſuperato Vogeſo Seleſtadiũ venit, celebrẽ vrbem, à cognomine fluuio ſic dictã. inde itum Argentinã, vrbẽ & antiquitate ſua nobilẽ, & triplici foſſa, qua Gallias ſpectat vallatã, & maioris templi ſtructura ac turris alterius altitudine ſpectandã, quæ cõſcenſa horrorẽ m exſcẽſu Thuano attulit, quippe vento vehemẽtiore, & feneſtris ad præcipitiũ apertis. ibi Ioannẽ Lobelũ vidit, quẽ iam ante Lutetiæ cognouerat, cũ in noſtra aula Imperialiũ vrbium negotia procuraret, hominẽ Belgã egregia eruditione & rerũ Germaniæ intelligentẽ. ab eo edoctus Hubertũ Languetũ noſtratẽ, qui tunc Arauſionẽſi princi operã nauabat, Badæ eſſe ad aquas ſumendas, literas ab eo cõmendatitias ad illũ accepit, per quas & ſe noſceret, & ipſe cum eo familiarius colloqueretur. vidit & Obertũ Giſaniũ, qui reip. illuſtriſ. ſtipẽdiis ius profitebatur. cũ eo ſermone de literis & literatis in Germania habito totũ diẽ cõtriuit. nã à prãdio mox ad eũ rediit, & tunc forte à lectione publica vacabat; renouata & iucũda tẽporis illius, quo in familia Illuſtris. Paulli à Fuxo vixerat, memoria. Argẽtina Badã ventũ, vbi Thuanus Languetũ vacuum nactus ita mordicus per triduũ ei adheſit, vt ab eo diuelli nõ poſſe putaretur. ita candor hominis illũ ceperat, inſigni probitate, iudicio nõ ſolũ in literis, ſed in publicis negotiis, quæ tota vita ſub variis principib. magna fide geſſerat, prædití, ad hæc rerum Germanię callentiſſ. vt Germanos ipſos res patrias ſuas doceret. toto illo tẽpore cũ eo aſſiduus, niſi quantum aquis ſumẽdis impendebat, cum multa didicit, tum breuiculũ manu ipſius perſcriptũ, quod & nũc ſeruat, poſtquam hinc diſceſſit, ab eo accepit, quo generalis Germaniæ ſtatus, ſicut hodie eſt, comitiorũ ius, circulorũ numerus, conſiliorũ ordo deſcribitur. iter etiã quod facturus erat, ei præſcripſit. cum Badæ eſſet, in eodẽ hoſpitio, in quo aquæ ſumuntur, Languetus Salẽtinum comitẽ Iſemburgicũ in aduerſa feneſtra cũ vxore Ioanna Lignea Arẽbergij comitis ſorore ſtãtem ignaro Thuano, qui illi eſſent, oſtẽdit, tum ab eo per iocũ percõtatus eſt, an ſi optio daretur, feminã hac ſpecie cõtra Colonienſem archiepiſcopatum æſtimaturus eſſet; cum cunctaretur & quorſum hæc dicerẽtur nõ intelligere ſe oſtẽderet, Lãguetus ſubridẽs, quæſtionis rationẽ aperit, & eũ eſſe Salentinũ dicit, qui nuper amore illius feminæ captus, vt illã in vxorem ac-

rem acciperet, tam opimā dignitatē vltro eieraſſet. addebat Languetus familias principum & procerū in Germania multū hodie grauari, ſublato cœlibatu, quippe cum per receptā à Proteſtantib. doctrinā filias omneis, quib. homines prolctarij abundāt, matrimonio elocare teneantur, quas antea deuotæ vitæ addicebant, ſpe certa, vt cum tēpore opulentorū cœnobiorum antiſtitæ euaderēt. Bada Forſenā ad Enuā itum, Badēſium marchionū ditionis opidū à quo per Sueuiā minus diei itinere Stugardia abeſt, acciditq. res, quam, quia cottidiana & domeſtica ſcribimus, reticendā non duxi. aberrauerat à via Thuani interpres, & nobilis Sueuus, qui cū eo comes viæ remāſerat, neq. Latine, neq. Italice aut Gallice ſciebat. is quia lōgius iter arbitrabatur, quā vt cōtinuato itinere, & nō interiunctis equis illuc cōmode iri poſſet, medio vico Thuanū ad ædeis paſtoris ſiſtit, & per eum id illi ſignificandū curat, cui quāquam durū videretur ignobili loco ſubſiſtere, tamen ex neceſſitate parendū fuit, exorato paſtore, qui Latine ſciebat ad prandiū veniret, vt eo interprete cum nobili illo, & hoſpite in diuerſorio vteretur. & præter ſpem euenit, vt nuſquā toto itinere lautius acceptus ſit. id incidit in VIII. Kal. Iun. qui B. Vrbano pōtifici ſacer eſt, quo die cum miraretur, ruſticos cœlo maximè ſereno ab operib. ceſſare, & cauſſā quæreret, paſtor poſt exagitatā virulēta oratione lamenā Pariſienſem, ſic eam vocabat, nam nō prius quā exſatiato animo reſpōdere voluit, ſic retulit; priſcis ſuperſtitionib. abolitis, in animis tamē ruſticorū quaſdā dierū obſeruationes remāſiſſe, quas nulla ratione ab iis ſeduli monitores euellere potuerint, eiuſmodi id eſſe, quod quæreret: nam auidis hominib. & de re ſua ſollicitis iam à priſcis illis temporib. perſuaſiſſimū eſſe, ſi Sol ea die illuſtris ſit, fore, vt vindemiæ, qua fere opes huius prouinciæ cōſtant, ampliſſimus ſit prouentus. apud nos idē S. Vincentij die, qui in Non. April. incidit, obſeruatur. Stutgardia iuxta Nicrū Vittēbergici principatus, ab arce vicina ſic cognominati, caput, loco amœno ſita vrbs, & arce egregie ſtructa cōſpicua, ad quā ad Ludouicū principem ſalutandū introductus Thuanus ſymphoniacorū delectū chorū in ea aula præcipue admiratus eſt. vnde Eſſelingam itum vrbē imperialē, ad Nicrū quoq. poſitā, qui fluuius ad Arbonæ montes haut lōge à Danubij fontibus ſcaturit, & Rotvillā ac Tubingā alluens interq. colleis vitib. cōſitos in vtraq. ripa porrectos labens mediā Sueuiam tortuoſo flexu diuidit, ac Heidelbergā prætervectus in Rhenū poſtremo influit, ponte iungitur ad Eſſelingā, quæ ſclopperorū fabrica & vini prouētu maxime cōmendatur. in Noſocomij cellis magna recōditi vini vis, & dolia ingētis primo capacitatis paulatimq. lōga ſerie decreſcētia cōſpiciūtur, quib. in plureis annos vinū obſeruatur. ex dolio XL amphorarū vinū nē XL annorū Thuano propinatū fuit, ex eoq. principes Germaniæ quaſi medicato bibunt, & quantū ex amplo illo dolio per largitiones depletur, tantū ex proximo dolio vini pauſſo recentioris repletur. Eſſelinga Goëpingam itum ditionis Virtēbergicæ ad Villiumamnē præfecturā, arce voluptuaria, & hortis amœniſſimis à Chriſtophoro patre ornatā, ad hæc aquis medicatis nobilē, ad quas ſumēdas Albertus Baioarus æger ſub id venerat. ad eum ſalutandū introductus Thuanus, & de reb. Galliæ interrogatus, morbo ſuperāte haut diu cum ipſo fuit. nec multo poſt Albertus, vbi domū rediit, ex eo deceſſit. ad Danubium vnde verſum iter & Vlmā, & reflexo itinere Burgouiū ventū, de quo Lāguetus monuerat, locū eum eſſe, ex tāta Ferdinādi archiducis ditione, quæ à Carnicis Alpib. ad Vogeſum vſq. cis Rhenū pertinebat, ſolū à Maximiliani fratris filius relictū liberis ipſius ex Philippina Velſera, quæ tūc adhuc in viuis erat, ſuſceptis; egregio inter Germanos honeſtatis toro immaculato debitæ exēplo, quæ nō patitur vt ſoboles ex clādeſtina, & impare, nec publice parentib. probata coniunctione procreata pro legitima habeatur, & in maiorū hereditatē ſuccedat. inde Auguſtam Vindelicorū profectus eſt Thuanus vrbē magnitudine ſua & ſplēdore ciuiū tota Germania præcipuā, vbi aliquot dies ad eam luſtrandā impēdit, & ædeis Fuggerorū inprimis, in iiſq. Marci in ima vrbe hortos fontib. artificioſis ex amniculo ſubiecto per rotā deriuatis irriguos, & viuariis diſtinctos, ad hæc cōgeſtos ab eo numos aureos, argēteos, & æreos cupide ſpectauit. vidit & Hieronymū Volfiū qui vertōdis libris Græcis & illuſtrādæ hiſtoriæ Byzātinæ tam egregiā operā nauauit. inde per Memingā Lindauiū venit opidum ſitu amœniſſimū in ripa Orientali, Acronij ſiue Bodenſis lacus poſitū, quē Rhenus, vt Rhodanus Lemanū, ita præterfluit, vt non miſceatur, ſed aquæ eorū rapidiſſimæ vtrūq. medium ſecent, & quod Homerus de Arethuſa dicit, tanquā oleum aquæ innatare videantur. circūeundo lacu nuſquā iucundior oculis ſpecies obuerſata eſt, miti cliuo ab vtraq. parte per vitiferos colleis qui in aquis ſubiectis pellucēt, deſcēdente. inde Nauigio cum equis deuectus eſt Cōſtantiā in citeriori ripa poſitā ſitu vel propter lacus proſpectū gratiſſimo. iuuit hic videre locū celeberrimæ Eccleſiæ vniuerſalis cōſeſſus ante CC annos ad ſarciendā concordiā congregati, & in tēporis illius memoriā penetrare, quo malis inſtantib. & quæ iā tum grauiora in poſterū minabātur, legitima remedia quærebātur, ſubitq. deſideriū, vt eadē caritas, quæ ab animis Chriſtianorū exulare hodie videtur, extincto odiorū fomite, qui per bella ciuilia alitur, & mutua dilectione, quæ pace ſtat, redeūte in nobis reuiuiſceret; per Steiniam deinde & Schafuſiam ciuitatis Heluetiorū præcipuū pagū oram fluminis legentib. iter fuit, vbi Rhenus, ſicuti inferius Laufenburgi & Rinfeldiæ per cataractas altiſſimas magno cum ſtrepitu in alueū ſuum deſcēdit, & ad Baſileā Rauracorū nauigabilis eſſe incipit. in ea vrbe mora fuit aliquot dierū non otioſa. nam Baſilius Amerbachius vir humaniſſimus, ad quē cōmendatitias

à Franciſco Pithoeo, vt & ad Theodorum Zuingerum, literas habebat Thuanus, à latere eius nunquam diſceſſit. ante omnia ei in proprijs ædib. D. Eraſmi bibliothecam & aduerſaria manuſcripta, tum numos antiquos, aliamque modicam ſupellectilem Vito parenti ab ipſo legatam oſtendit, in eaq. globum terræ argenteum cælatura & miniatura egregium a Tigurino quodam aurifice factum, quem dum curioſis oculis inſpicit, medio eo aperto vinum vtrinque infuſum eſt, & more gentis Thuano propinatum. inde ad Bibliothecam publicam ductus, in qua plerique Procli & aliorum Græcorum commentarij in Platonem & Ariſtotelem manuſcripti adhuc adſeruantur. luſtratæ & Felicis Plateri Medicinæ doctoris ædes ampla & peramœnæ. is hoſpitem perbenigne excepit, & ei Alcem in præſepi oſtendit animal mulo Etruſco aut Aruerno magnitudine parem, pilo hiſpido, colore lurido; breuius corpus grandioribus cruribus nititur, vngula ſecta, qualis ceruarum, ſed maiore. oſtendit & murem montanum, marmotam vulgo vocant; grandioris cati magnitudine, cauo ligneo latentem ac fere torpidum, qui totam hiemem ſine cibo durauerat. habebat & thecam fuſſilium Conradi Geſneri, Tiguro aduectam, qualis ipſius libro præfixa & depicta eſt, in qua rara multa & naturæ luſus innomeri & inſectorum non vulgarium magna vis, quæ cupide & per otium inſpecta, monſtrante Amerbachio, harum rerum peritiſſimo. ſalutatus & Theodorus Zuingerus in ſuis ædibus, quarum præcipua ornamenta inſcriptiones crebræ, in quibus faciendis ille ingenio valebat. luſtrata & Petri Pernæ Locenſis officina, in qua vegetus ſenex circa munia typographica ſeſe adhuc ſtrenuè exercebat. poſt actas Amerbachio pro tam ſedula humanitate gratias Baſilea diſceſſum, & Mulu ſenam ſub veſperam ventum, vbi tum fortè nundinæ illo loco frequentes celebrabantur. planicies lata antè opidum iacet, quæ venienti inſolita hominum, ſenum, iuuenum, feminarum huc illuc palantium, ex equis & aſinis lapſantium, hinc vxorum maritos, inde filiarum parenteis ſubleuantium multitudine oppleta, tot bacchantum & Corybantum exercitus ſpeciem præbere videbatur. intus vero in diuerſorijs comeſſationes, & iuuenculæ, quæ per menſas miniſtrabant, vinum ex oblongi colli vaſe eminus ſine effuſione in ſcyphos vacuos iaculari, ad bibendum iocoſis verbis conuiuas excitare, ipſæ aſſiduè bibere, vbi biberant, in proximam aream diuertentes mingere, & mox ad miniſteria redire. hoc nouum & iocularee ſpectaculum ad multam noctem durauit, donec cubile cum hypocauſto Thuano attributum eſt, quod diu poſtquam venit ab hoſpite factum, tot comeſſantium concurſu occupato & fruſtra interpellato. quod rurſus patienter ferendum fuit, eoque minus iniocundum viſum, quod inter vina, clamores, ſtrepitus, occurſus res ſine iurgio & rixis tranſigebatur. mane Colmaria ad dextram relicta prandiū ſumptum ad vicum haut longe à Moſellæ fontibus. vbi troctæ optimæ & grandes ad ſaxa collidentes humili adhuc aquæ alueo tanta vi rapiuntur vt manu capi poſſint. inde Plombinum reditum. vbi Thuanus frattem baut multum aquarum vſu ſubleuatum nactus cum vxore de eo domum reducendo conſilium iniuit, per Burbonenſes aquas facto itinere, quibus ad aliquot dies ex medicorum conſilio haut maiore profectu vſus per Lingonas & Tricaſſeis tandem Lutetiam perductus eſt, vbi paucis poſt menſib. poſtquam omnia remedia fruſtra ab vxore lectiſſima virilis animi femina adhibita ſunt, pie deceſſit, vocis diſtinctæ vſu, quem per diutinum morbum magna ex parte amiſerat paulo ante mortem recuperato, pſalmum L ſubinde occinens, & in verſu illo, *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me* tandem defecit. pater, qui morienti benedictione ſumma & pluſquam paterna conſtantia impertiuerat, ad aliquot dies ſenatu abſtinuit, & vt frequentiam vitaret, in ædeis Nicolai fratris Carnutum epiſcopi, in quibus Thuanus habitabat migrauit. inde capta occaſione ipſe & Auguſtinus Regius in ſenatu patronus fratrem circumſtant, & ſe familiamque ad paucos redactā reſpiciat, etiam atque etiam cogāt, videatque an quod de Iacobo Auguſto filio decreuerit, mutari ſit melius. nec ille abnuebat, ſed plus de Republica quam de domeſtica ſollicitus facile tempus elabi patiebatur; ipſe Thuanus, cuius res agebatur, iam vitæ cælibi aſſuetus, qui peregrinationes & legationes in animo tantum voluebat, nec alia præterea ambitione tangebatur, patruorum monita eludebat, & rem patris arbitrio relinquebat. ita reliquos annus exactus, quo ille cum vidua fratris aſſiduus acri vtrinque doloris ſenſu ſe mutuo ſolabantur.

CIↃ IↃ LXXX Sequens annus populari lue funeſtus fuit cuius occaſione Thuanus in Turones conceſſit cum Iacobo Denneto in ſenatu patrono homine ſollerti & ſibi ac toti familiæ amiciſſimo. Cæſaroduni Turonum tunc Andinus Regis frater ſiue Pleſſiaci primo ab vrbe lapide erat, ſerio de bello Belgico cogitans, ad quem habebat à patre ipſius Cancellario literas, quas per Ioannem Simierum, qui in gratia eius admodum flagrante ſoerat, & à qua mox excidit, introductus cum obtuliſſet, perbenigne exceptus eſt, & poſt habitos de rumoribus in Regia aula ſermones dimiſſus. inde Malliam Lauallorum primariam in Turonibus arcem haut hinc longe ſe contulit, in eaque tempore graſſantis luis manſit, ſtudiis & aliquando venationibus animum oblectans, & ne ingratus erga munem receptricem eſſet, a Nicolao Perroto grauitatis antiquæ & ſummæ elegantiæ Senatore qui tunc in Andini comitatu erat pronunciatus ſcazonte, qui editus eſt deſcripſit. cum vero diuturnior mora in eodem loco videretur, per Cenomanos Alenconium in Aulercis, Saium, Falezias cum Deneto venit, & inde

& inde Ægidio Normanderia Denneti fratre deducente Cadomum,& in Ioannis Nouincij Albinij ædibus hoſpitium ſumpſit,ab eo ſupra quam dici poſſit lautiſſime exceptus. luſtrata in vrbe S.Stephani ædes,quod arci imminere diceretur,primo belli ciuilis motu diruta, ſepulcro etiam Gulielmi Neuſtriæ ducis & Angliæ regis immani ſacrilegio violato; quæ tamen deformes ruinæ vtcunque poſtea ſartæ ſunt.inſigne eſt cœnobium à Gulielmo olim illo magnis vectigalibus dotatum, in cuius aula ex figulino opere adhuc inſignia viſuntur equitum Gallorum,qui in Britannica expeditione ipſum ſecuti fuerant.ad arcem inde itum, vbi cum locus,ad quem pulſationem,dum Ellebouius ex morbo decumberet,fecerat Colinius, oſtēderetur,ex circonſtantibus quidam memorabant,Katharinam Reginam,cum eò paullo poſt veniſſet,dixiſſe,locum vel à mulierculis colum baiulantib.defendi potuiſſe, nec proinde arcem tam cito dedi debuiſſe,quod ſiue ignauia ſiue prodiτione factum fuiſſet,ſumma cum infamia præfecti dicebatur. Conſtantiam inde cum excurrere in animo haberet, ad Alnetum Abrinçenſis diœceſis cœnobium in itinere diuertit,quod Ioannes Preuotius viæ comes tenebat,Auguſtini Curiæ Pariſienſis notarij,qui multa poeticè non vulgari elegantia latine luſit, frater,homo non illiteratus,ſed ſermonib.vagis& dicacitāte,quæ nulli parcebat,plerumque importunus.is cum loci religioſis ſoluta diſciplina viuentibus multa ridicule non ſine offenſione cum dixiſſet & feciſſet,poſtremo ædificiorum macerias oſtendens, vt illis ignorantiam ſuam exprobaret,non minus ridicule addidit,has ruinas interueniſſe, .quod nemo ex illis vel verbuli latini tibicine eas fulcire potuiſſet.circa Conſtantiam habitabant Seij ex nobilitate Prouinciali aliqua cum Thuano cognatione coniuncti. ſiquidem Ioannes Marla Epiſcopus Conſtantienſis Erici Franciæ Cancellarij frater, & in eadem cum ipſo ſeditione interfectus,cuius adhuc inſignia in templi tholo,loco ſumme conſpicuo viſuntur, Hilariam ſororem in proximo Seio elocauerat, ex quo illi prognati. triduum in ciuitate muris minime cincta commoratus Granuillam & inde Aurincas petit, & in Epiſcopi ædibus hoſpitio exceptus pernoctauit.poſtridie S.Michaelis montem, quod eſt cœnobium maxime illuſtre in periculo maris, luſtrauit.rupes vndique prærupta olim,vt putatur, continenti connexa,nunc mari accedente duarum ab ea leucarum ſpatio diuiditur, recedente æſtu per vadoſa loca equis aditur.vbi ad pedem ſaxi,quod conica ſpecie aſſurgit,veneris,murus occurrit præaltus rupi in imo circundatus,portaque aperta ſtatim per gradus in ea excauatos nulla interiecta planitie,aſcenditur,tabernis vtrinque diſpoſitis,quibus roſaria & imagines plumbeæ ac huiuſmodi donaria,quæ peregrini ſibi comparare conſueuerunt, proſtant, necnon diuerſoriis aliquot ad hoſpites excipiendos.in ſummo faſtigio,quod in cacumen deſinit, arx eſt & cœnobiū tam ſpatioſe porrectum,quam ima ſaxi crepido eſt,pilis ex ea in altū ſubſtructis, quæ tantā molē ſuſtinent, & ex quibus in altum grauia onera per trochleas ſubuehuntur,nam præter templum ipſum magnifice extructum cum turre præalta,in qua inſignis Michaëlis archangeli deaurata ſpecies ad ſolis radios rutilans cernitur, bina porticus cum periſtylio altera alteri impoſita fornicato opere,cœnationes item fornicato opere, bibliotheca optimis libris manuſcriptis olim referta,hypogæa,ciſternæ,domus ipſa præſulis cum hypæthio,in cacumine ſummo tanta amplitudine ſunt omnia,vt cū in iis pedem figis,in campeſtri planitie deambulare te credas.hortus etiam terra importata ad occaſum& meridiem vergens modico ſpatio præfecti ædibus adiacet,in quo, licet alioqui totus ille tractus ſit frigidiſſimus,optimi melones proueniunt; tot ſumptibus toto regno atque adeo Europa omni admiranda ſubſtructio olim conſtitit, loco ſolitario & importuoſo & ab omni commercio & frequentia longe diſcreto,difficili etiam cum mari alluitur,ad eum vel cum nauiculis appulſu:quas difficultates ſeu defectus maiorum religio partim ſuperauit,partim ſuppleuit, quod in tranſcurſu notaſſe non omnino abs re viſum fuit. inde per Gemmæ fanum, Fulgereas Armoricani tractus ſiue citerioris Britanniæ opida itum Albini fanum, locum pugna inter Regiòs,quibus cum ſummo imperio Lud. Tremollius præerat, & Ludouicum Aureliani ducem,& Arauſionenſem principem,in qua & ipſi capti,ante annos XCII. conſerta inſignem. Condātc Redonum tandem ventum, prouinciæ caput,& in qua ciuitate hodie ſenatus ſemeſtris reſidet,qui aliàs ad Condiuicinum Namnetum,vbi principes ampliſſima arce conſtructa manere conſueuerant,habebatur.inde per Vitreum,Lauallum, Guntheri caſtrum, Andegauum,Salmuriam,in Turones rurſus itum,atque adeo arcem Malliam, vbi literas à patre accepit Thuanus,quibus de rebus arcanis cum Arturo Coſſaeo E.T. agere jubebatur. is iam Pictauium proceſſerat,vt Andinum in Petrocorios ad res cum Nauarro pacificandas profectum ſequeretur.igitur cum Denneto fido comite per equos diſpoſitos in viam ſe dat, nec à periculo abfuit,à quibuſdam armaris jam quaſi bello denunciato diſcurſantib.interceptus,ſed mox agnitus & dimiſſus.Pictauij Coſſæum nactus,antequam vlterius progrederetur,mandata patris cum eo peregit,& Pomponium Belleureum,qui eodem à rege miſſus illuc venerat,eadem de cauſſa conuenit.mox Malliam repetiit, quo ad eum inuiſendum venit Nicolaus Perrotus,qui Cæſaroduni per Andini abſentiam remanſerat,captoq.ſimul generoſo conſilio,contra quam facere ſolent periti aulici,Burgolium cœnobio opimo & amœnitate loci toto regno nobiliſſimum locum ad Ioannem Simieum,qui interim à gratia exci-

derat ſalutandũ & ſolandum ire perrexerunt, ne quem gratia florentem honorifice coluerãt,
ea amiſſa mutatis cum fortuna animis turpiter negligere viderentur. ab eo peramanter acce-
pti poſt habitos de caſu ſuo varios vltro citroq. ſermones, & delatã à Thuano patris, ſi quid ea
in re poſſet, operam, & erga Andinũ auctoritatẽ, quiſq. ad ſua rediit. nec multo poſt Thuanus
præcipitante iam hieme cum contagio, quæ tot capita abſumpſerat, remiſiſſet, Lutetiã reuo-
cante patre qui in vrbe toto illo tempore remanſerat, tandẽ rediit. Flexiauæ collationi exe-
quendæ dein tempus inſumptũ. ea conuenerat, vt delegati ex Senatu Pariſienſi in Aquitaniã
CIↄ Iↄ LXXXI. mitterentur, qui ius adſiduè in prouincia dicerent, loco bipartitæ claſſis, in qua propter ani-
morũ contẽtiones ob religionis diſſidiũ illis locis acriores, diuiſis plerumq. ſcotẽtiis partes vl-
tra modũ vexabãtur. XII ex ampliſſimo ordine Laici, quos vocant, eccleſiaſtici ordinis duo
delecti, quib. omnib. qui præeſſet, à rege nominatus Petrus Seguierius vir ſollerti & expedi-
to ingenio ac ſumma æquitate prædius, qui quod Thuanum, qui ex Eccleſiaſtico ordine e-
rat, ſumme diligeret, eũ inter duos illos à rege nominandũ curauit, atq. adeo cũ Lazaro Co-
queleio Heduo doctrina & iudicio præſtãti viro & Thuano amiciſſimo. in eundẽ numerũ le-
cti & Ioannes Thumerius, & Claudius Puteanus, & qui nuper in Senatum cooptatus fuerat,
Michael Huraltus Hoſpitalius magni illius Cãcellarii nepos. is in vxorẽ duxerat Olympiam
Vidi Fabri Pibracij tũc præſidis filiã, qui Olympiæ Moratæ, cuius honeſta & erudita cõſuetu-
dine in comitatu ſereniſſimæ Renatæ Ferrarienſis vſus olim fuerat Ferrariæ, memoriam reno-
uauerat, iuuenis ingenio erecto & Latine Galliceq. ſcribendi peritiſſimus, cuius rei inſigne
ſpecimẽ per hos motus editis ſcriptis dedit, qui cũ aui nomẽ referret, & in eadẽ claſſe, in qua
auus fuerat, cũ Thuano militaret, non poterat cũ eo non eſſe coniunctiſſimus. itaq. cũ ipſum
impenſe aucupio non antiquo ſed recentiore oblectari videret, poeticæ cui multum ſemper
addictus fuit, primum periculum in eius gratiam fecit, & Hieracoſophion nouitiæ inuentio-
nis opus publicauit. decreta in Aquitaniã delegatorũ profectione, hac denuo captata occa-
ſione patrui patrẽ vrgere, ſe familiãq. pæne extinctã reſpiceret, cuius ſpes in vno Thuano ſu-
perabat, nec ille abnuere, ſed rẽ more ſuo differre, & profectionis neceſſitate, quo minus de
negotio in præſentiarum decerneret, ſe excuſare. ipſe Thuanus, qui ſtudiis intẽtus huc vſq. rẽ
inſuper habuerat, demũ quid ſe futurũ eſſet, ſerio cogitare cepit, & Ferrerij monitorũ memor,
magnitudinẽ oneris cui deſtinatus erat, cuiq. ſe imparẽ multis partib. ſentiebat, animo repu-
tare atq. apud ſe perpendere, cum ad vitam trãquillam ac minime ſollicitã ſe natura ferri cer-
neret, nũquid ſplendorẽ illum declinare ſibi conducibilius eſſet; & iam tum cõmodis vitæ,
quæ ex eo ſperari poterant, poſt habitis, & impedimentis, quæ tum erant & eſſe poterant, re-
motis, ſic ſe comparauit, vt ſi occaſio ſe offerret, ad vxorem ducendam ſe paratum oſtende-
ret. ceterũ pro tẽpore patris excuſatione apud patruos vſus eſt, in Aquitaniã cũ delegatis pro-
fectus, mox eorũ nomine Engoliſmam, ad Henricũ Borboniũ Condæũ, qui ad fanũ Ioannis
Engeriaci erat, ſalutandũ ſe contulit. à quo omni genere honoris & beneuoli animi ſignifica-
tione exceptus eſt, quod & delegatorũ, a quibus venerat, dignitati, & egregia erga parentẽ vo-
lũtati, cuius æquitatẽ ſummã Condæus & ceteri Proteſtantes præteritis tẽporib. ſemper ex-
perti fuerant, acceptum ferebat. ſemel atq. iterũ ſerij de Rep. ſermones inter eos habiti, & ini-
tæ ſumma æquitate rationes, quib. trãquillitati Aquitaniæ cõſuleretur, de quib. ad P. Seguie-
riũ ac delegatos poſtea retulit Thuanus. inde omnes ſimul Liburnũ in Petrocoriis cõuene-
rũt, opidũ ſitu oportunũ, vbi Iſula ad Duranium influit, & ex æſtu maris per Duraniũ in ipſam
regurgitante & vẽto incumbente tã ſubito ac vehementi turbine aqua nonnunquã glome-
ratur vt nauigia niſi experti nautæ id cauerent, parum ab ſubuerſionis periculo abeſſe videã-
tur. eum turbinẽ vulgo Maſcaretũ vocãt & inter admiranda & peculiaria loci illius tota A-
quitania memorãt. initio cõſultatũ an Liburni locus dicũdo iuri deligeretur: ſed propter co-
gnitorũ & aduocatorũ, qui Burdigala aut vicinis tribunalib. accerſendi erant, penuriam & a-
lias ſubortas difficultates placuit, vt Burdigalæ principium iuris dicũdi fieret, miſſuſq. Thua-
nus, qui ea de re cum Iacobo Gobione Matignono E. T., qui ſub Nauarro prouinciæ ſummo
cum imperio præerat, ageret, & inde recta ad Nauarrum ipſum ſalutandum pergeret. eum
ille ad Geloſi caſtrum in Labretanis nactus eſt venationib. tunc vacantẽ. pari, qua apud Cõ-
dæum honoris & beneuolentiæ ſignificatione, ab humaniſſimo principe exceptus Neracũ
vſq. ſequi iuſſus fuit. totus ille tractus arenoſus, quo vſq. Neracũ venias præpingui agro ſitum
opidum, & cum illa nocte copioſe ninxiſſet poſtridie per veſtigia feris indagandis vſq. ad prã-
diũ tempus impenſum; quod venationis genus locis illis peculiare eſt. officio defunctus bi-
duũ Neracij mãſit Thuanus in ſalutãda Margarita vxore & Catharina ſorore occupatus. ſed
præcipua fuere cũ Carolo Fabro Gratinio Nauarri Cancellario colloquia, qui in Senatu Pa-
riſienſi olim educatus, & in Mercuriali conuentu exagitatus præcipuum apud illius parentẽ
præſidiũ repererat, idq. ingenue profeſſus impenſa beneuolẽtiæ teſtificatione bene meriti de
ſe patris filium complectebatur inſuperq. addebat, ſe auctore factum, vt de iudicum claſſe
ex Senatu Pariſienſi petenda actum eſſet, quippe qui ſciret quam ſincere, & incorrupte pro-
cul odio & gratia in eo ius diceretur, ſecus quam in Aquitania, vbi cũcta fere præſertim poſt
exortum religionis diſſidium, gratia & odio tranſiguntur. cum à Nauarro diſceſſurus eſſet, ab

eo in

eo in hortos deductus eſt magna cura à ſe conſitos & ambulactis procera lauro vtrinq. veſtitis diſtinctos, per Aginnum Nitiobrigũ tranſmiſſo Garumna iter in reditu fuit, vbi à Ioanne Secondato Rupio in ædib. ſuis lautiſſime exceptus eſt, is ſororem matris Ioſephi Scaligeri in vxorem duxerat, ex qua & numeroſam ſobolem ſuſcepit, compluresque ex illius liberis Regiis bellis ſtrenuam operam nauarunt, & Paulus imprimis, qui Oſtendam vltimo triennalis obſidionis anno tam fortiter defendit, & tandem paullo antequam dederetur, in ea glorioſe occubuit. cum eo erat Siluius Ioſephi grandior natu frater, ad quem Iulius pater Poeticam ſcripſit, homo bonus neque illiteratus, qui commentariorum patris in libros Ariſtotelis de hiſtoria animalium mentione iniecta, rogatus fuit à Thuano vt eos recenſeret, nec diutius publico inuideret, quod & ille in parte ſecit, libro decimo publicato, quem Io. Stephano Durantio Senatus Toloſani primario præſidi dicauit, ceteri poſt Siluij obitum in Ioſephi manus venerunt, qui eos ſecum in Batauos aſportauit, & Danieli Heinſio alumno ſuo moriens vulgandos reliquit, ſed ita confuſos & incaſtigatos, ſicuti ipſe poſtea Heinſius ad Caſaubonum ſcripſit, vt de eorum editione deſperetur. reuerſo Burdigalam Thuano locus in Dominicanorum cœnobio delectus & adornatus, in quo noua claſſis ſederet. Antonius Oiſellus vir antiqui moris, & ſingulari eruditione prædirus aduocati fiſci, P. Pithœus vel ſolo nomine ſatis notus cognitoris Regij munere fungebatur, par nobile non amicorum ac veluti fratrũ tantũ, ſed in cõſiliis prò repub. capiendis egregie cõſentientium collegarũ bigainſignis, quib. amicis familiariſſime vtebatur Thuanus. principũ magno cõcurſu factũ, ſiue ob rei nouitatẽ, ſiue prouincialiũ tædio, nec interim ſtudia intermittebat Thuanus, & eorũ, quorum conſuetudine & familiaritate ad opus hiſtoricũ, quod iam tum animo cõplectebatur, opus habebat, amicitiã quacunq. ibat ſedulo ambiebat. ita animatus multa quæ aut ſcripta aut iactata meminerat, quæ ab aliis aut in dubiũ reuocabãtur aut aliter narrabãtur, iudicio adhibito didicit. multa à Benedicto Largobaſtono primario præſide veneranda canitie & doctrina præſtãti ſene, qui à patre per has turbas pro inſita in afflictos benignitate protectus, vt cupido adoleſcẽti gratificaretur, infra ætatẽ plerumq. ſe demittebat; Multa à Michaële Montano ingenij liberi homine, & à partib. alieno, qui tunc Maioris munere in illa vrbe perhonorifico fungebatur, & rerũ noſtrarũ ac ſuæ præſertim Aquitaniæ multã ac certã notitiã habebat. amicitiã vt cõtraxit cum Ioanne Maluinio Seſſaco tunc primario Senatore & harũ rerũ nõ ignaro. nec iniucũda fuit illi atq. etiã Pithœo Eliæ Vineti Barbeſienſis comitas, is ludũ Aquitanicum [illegible] ro temporib. adeo famoſum ſtrenue moderabatur, & Auſonio ſuo recẽ endo incũbebat, olim Turnebi, Mureti, Gruchij, Guerẽtæi ſocius, atq. adeo Georgij Buchanani, à quo literas quotannis accipiebat, cum Scoti mercatores ad Vaſconicũ vinũ cõparandum ad vrbẽ venirent; in iiſq. vltimas vidit Thuanus manu tremula ſed ſtilo generoſo ſcriptas, in quib. de ſenectutis incõmodis nõ tã querebatur, quã de vitæ lõgioris tædio, & ſe Sterlinũ ab aula cõceſſiſſe aiebat, poſtremoq. hæc verba, quæ ille memoriæ inſixerat, addebat, *Interea hoc vnũ ſatagõ, vt quã minimo cũ ſtrepitu ex inæqualiũ meorũ, h. e. mortuus è viuorũ cõtubernio demigrẽ.* Vinetus auctor Thuano fuit, eũ ei libros II priores de re accipitraria affectos potius quam cõfectos cõmunicaſſet, vt eos ederet, qui apud Simonẽ Millangiũ typographicæ peririſſimũ cuſi ſunt, menſe Febr. cũ feriaretur, cõſiliũ captũ ad Boiates exſpatiãdi. Thumerius quartana laborabat, cũ qua generoſe luctabatur, ita vt equitãdo cũ ea certaret, nec decũberet. comites vix perpetui Oiſellus & Pithœus cõmendatitias à Frãciſco à Fuxo Candala, quẽ frequenter in vrbe ad Paullini podiũ inuiſebãt, literas acceperãt. vbi Medulos Garũnæ in vlteriore ripa circũpoſitos exceſſeris, litus ad læuam pinu procera, ex qua reſina elicitur, præcingitur, & quia decorticata arbore imæ partes ſũt nudatæ, proſpexit natura, vt enatis paſſim arbuſtis ſiue vnedonib., nã fructus vulgo apud nos plantæ nomẽ dedit, folio & fructu ad aſpe[illegible]ſi, quã vſũ meliore interſtitiũ illud veſtiret, quæ defectũ eũ nõ ſolũ ſupplẽt, ſed amœnitatẽ augẽt, accedẽte maris proſpectu, quo nihil iucundius oculis obuerſari poteſt. Boiates & Boij t[illegible]pore Auſonij dicebãtur hi populi, quos & ob id piceos vocat, & hodie adhuc ſola picea ad ignẽ & tæda ad lumẽ vicani vbiq. vtũtur. in eo tractu promõtoriũ Boiatũ eſt, à veterib. ita dictũ, quod & nũc nomen retinet; nã opidulũ hodie teſtæ nomine indigetatur, & titulus loci domini ex illuſtriſſima Fuxẽſi familia in Annalib. noſtris, dũ nobis cũ Anglis res erãt, ducis celeberrimi id cuinerit, qui Captalis Boiorũ dicebatur. ſunt qui dicãt a teſtis loco nomẽ impoſitũ atq. adeo à mõte teſtaceo, qui opido imminet, ex oſtreis, quæ magno prouẽtu in proximo ſinu legũtur, congeſto; quod minime puto. nã teſta vulgo nõ id quod Latine inter Vaſcones noſtros ſonat. ſinus ille ita ſitus eſt, vt in ſuperiore parte Teſtã, in aduerſa parte Certã habeat, quæ pro hereditaria portione Honorati Sabaudi Villarij marchionis & nuper prouinciæ præſidis Frãciſcæ à Fuxo vxori obuenerat. in eo prãdiũ ſumptũ mẽſa in litore maris ſtrata, & recedẽte æſtu caniſtris [illegible] t ſit oſtrea à cõuiuis certatim lecta, quæ cõtinuo aperta degluriebãt optimi ſaporis & gratiſſimi guſtus, adeo vt violarum odorẽ referre viderentur. repertus eſt in famulitio guloſus puer, qui C amplius vnus ſine nauſea deglutiuit. ibi cũ eſſent cuiuis bono licet æſtimare, qui ſermones inter eos ſererẽtur, ſiue famoſi illius ducis renouata memoria, ſiue de rep. ad cauſæque ſalutaribus cõſiliis inter ſe agerent, ſiue loci amœnitatẽ contẽplarentur, & in præſtantiũ

CIↃ IↃ LXXXII

illorũ virorũ recordationẽ reuoluerẽtur, qui negotiis interdũ omiſſis ad animi relaxationẽ ſimul oriãi, & ad Caletã & Laurentum conchas & vmbilicos legere, ſicuti Cicero alicubi ſcripſit, dignitate ſua minimẽ indignum exiſtimabãt. iam adulto vere etiam in Medulos excurrere libuit, & nouũ caſtrũ Fuxenſis familiæ, nam totũ illum tractum Fuxenſes olim patrimonialem habuerunt, vnanimes collegæ venerunt. in quo tunc erat ipſe Franciſcus à Fuxo Candala, & in eo vſq. ad Autumnũ fere manere ſolitus erat, niſi ſi quãdo Cadilliacũ aut Bacheuellã diuerteret: quib. locis Garũnæ fere impoſitis, & ad quæ vltro citroq. per flumen commeare ſolitus erat. habebat bibliothecas, officinas fabrileis, fornacẽs cum omni inſtrumẽto ad conflandũ & fabricandas machinas, in quib. peritiſſimus ſimul & ingenioſiſſim. geometra excellebat. ab eo ad prandium inuitati, erudita, vt fere ſemper fuit cõfabulatio. Thuanus inter alia de Pyrenæorũ altitudine memorare tunc ſolitũ eum meminerat, cum Henricus Labretanus Nauarræ Rex Ioannæ parens Pauio ad Benearnenſeis aquas magno comitatu veniſſet, ipſum qui Regẽ proxima cognatione contingebat conſilium cepiſſe iugi altiſſimi, qui haut hinc lõge aberat, & gemellarũ ſororũ, quod bifurcato cacumine aſſurgat, nomine vulgo indigetatur, ſuperandi. dumq. cõparat omnia ad id neceſſaria, vt cum ad inacceſſa perueniſſet, & per ſcalas vncos & manus ferreas in ſummum eniteretur, multam ſe nobilitatem certatim obtuliſſe, & adoleſcenteis pleroſque leuibus tunicis, vt expeditiores eſſent amictos. quos cum monuiſſet Candala, fore vt in altum progrediendo algerent, illi riderent, ipſe farctam pellibus veſtem per ruſticos locorum gnaros ſecum detulit. ſub quartam horam matutinam profecti medio Maio cum iam eo vſque prouecti eſſent vt nubeculas infra ſe cernerent, tum frigus cunctos ſenſiſſe, & quoſdã ſeu nimia properatione anhelanteis, ſiue algore preſſos dilabi cepiſſe; interim Candala ſenſim progredi & ſumpta veſte cautius incedere. iamq. eò peruenerant, vt Ibicum, ac rupicaprarum crebra cubilia, ipſæ vero prærupta ſaxa agminatim diſcurrentes conſpicerentur. tum vlterius progreſſos nidos aquilarum & huiuſmodi rapacium auium crebros indem aſpicit: & eo vſq. homines enixi callem in ſaxo excauauerant, nec minus viæ, quam quod confecerant, quo in ſummum iugum euaderent, adhuc ſuperabat, aëre frigido ac tenui adeo circumfuſo, vt vertigine tentati, paullum aberat, deficerent. itaque reſumpto ſpiritu & velatis capitibus cum cibum ſumpſiſſet, viam ſibi nouam ope ruſticorum munire Candala, vbi ruſticorum labor nihil prodeſſet, ſcalas admouere, & vncis ac manibus ferreis eniti, donec eo vſque peruentum, vbi nulla ferarum & auium, quæ longe infra volare conſpiciebantur, amplius veſtigia apparebant; neque dum in ſummum euaſerant, quo tandẽ aut proxime per vncos artificioſe ãte fabricatos Candala euaſit, & loco idoneo ſedens, ex quo in imum liber eſſet deſpectus, ope dioptræ rationem altitudinis inire cepit. & pro termino infimo capiens torrenteis ſubiectos, cum non amplius ſaltu ſe demittentes, ſed æquabili alueo fluunt, ad locum in quo ſedebat, & ſummum iugum, quod iam metiri poterat, animaduertit, ſpatium omne illud CIↃC circiter orgyiarum ſiue VI pedum noſtratum eſſe. quod cum poſtea profundiore apud ſe cogitatione Thuanus expenderet, non multum à vero & veterum mathematicorum fide abludere comperit. ſiquidem ab antiquis, cum de Olympo in Theſſalia monte altiſſimo Græcis credito agerent, proditum, nullius montis altitudinem aut maris vllibi profunditatem X ſtadia excedere. nam ita menſum eſſe Xenagoram, qui dimidio ſtadio plus in Olympo inuenit, qui numerus apud Apuleium in libro de Deo Socratis deeſt ex Plutarcho in vita Paulli Æmilij ſupplendus. quæ ſi conferas, & ſtadium CXXV paſſuum decies multiplices, paſſum autẽ non ex vſu noſtro III pedum, ſed Græcorum conſuetudine V pedum conſtituas, quippe qui ſpatium, quod vtriuſque manus extenſione cõpletur, continuat, reperies fere eundẽ numerũ, quem CIↃC VI pedæ noſtræ efficiunt. tantum enim CCCL pedum erit differentia, quæ XI VI pedas vno pede minus efficiunt. & hoc in tranſcurſu annotaſſe ſufficiat, penitus exactiore rei tantæ relicta indagatione. inde collegæ Spartam venerunt, olim Monſerrandorum notiſſimam arcẽ cum municipio & ſalinis. & poſtea temporib. Caroli VII confiſcatione ad Labretanos Francõ nomini addictos deuolutam, quæ tunc à Ludouico Gonzaga Cliuio Niuernenſium duce ex vxoria dote poſſidebatur. Sparra Solacum itum B. Mariæ ſacello & Verdono portu tutiſſimo locum nobilitatum, ex quo luſtrata Corduenna turris, quæ in oſtio Garumnæ hinc inde per IIII plus minus leucas patente inter Syrteis & aras poſita, accenſo igne noctu interdiu nauigantibus viam è longinquo monſtrat. quæ ſemidiruta occaſionem præbuit nouæ poſtea extruendæ labore & induſtria Lodoici Fuxij Lutetiæ nati, ſed quod patrem ex ea regione haberet, ita cognominati. inde per Talemonem, Roianum, Blauiam ventum vbi capillarium herbarum, quod ab indigenis ignorabatur, magna copia. noſtri id primum deprehenderunt, & ſirupi ex eo conficiendi artem monſtrarunt, vt non amplius Aquitanis illud Monſpelio ſit petendum. repertæ & paſſim aliis in locis, & Burdelæ, quæ topi impoſita arx eſt primaria in Petracoriis, ſubterlabente Iſula ſaxum ſeu natura ſeu vi fluminis excauatum & ſuſpenſum iis vndique adnaſcentibus abundat. repetita tandem Burdigala, vbi noua claſſis magis in criminalibus cauſſis, ex quibus publica ſecuritas pendet, quam ciuilibus occupabatur,

& dum

& damnis iudicandis ceteri iudices diſtinerentur, Eccleſiaſtici, qui iudicus intereſſe non poterant, probationibus conficiendis, interrogandis reis, & cum teſtib. committendis interea vacabant. quod oneris Coqueleïo & Thuano incumbebat, vt in cauſſa Roſtinij actum eſt, quæ inſtructa ſub feriarum Paſchatis tempus inde, propter Iuſtitium occaſione ſumpta, Thumerius, Oiſellius, Pithœus, & Thuanus in Vaſconiam excurrerunt, & per Coſſionem Vaſatum, vbi de veris calamitatis illius vrbis cauſſis, & Caſſianorum factione cognitum eſt. ac Labretinas turreis, à quib. principali & illuſtriſſimæ familiæ atque adeo regioni nomen. Tartaſium venerunt, & inde Marſani-montem, & Atiram cognomini fluuio impoſitam ciuitatem incendio & ruinis per bella ſuperiora deformatam. Vlterius progreſſi in Bigerrones deſcenderunt ad Pyrenæi radices amœniſſimam regionem, in qua, vt in Gallia Ciſalpina, vites vlmis & populis maritantur, & Tarbam regionis caput triplici vrbe olim conſtantem, ſed nunc pænè ad ſolitudinem redactam, & à ruſticis tantum habitatam. luſtrata & balnea haud hinc longè veteribus frequentata, & ſolis egregiè fabricatis ornata, aluminoſa ferè & quorum vſu Thuanus dolores in brachio ſiniſtro per ſtudia & vigilias contractos curauit. inde ad Campanum vſque itum, vbi optimum b[illegible]um conficitur, iuxta Lauedani vicecomitatum Borboniorum patrimonialem, equis generoſis nobilem; & in itinere luſtratum ſacellum, in cuius altari inſcriptio illa à Scaligero deſcripta & tam aptè ad illuſtrationem Nouempopulaniæ ſuæ accommodata à Thumerio, Oiſellio, & Thuano diligenter inſpecta eſt. obſeruatum in itinere, cùm peruentum eſt Bigorram & Lordam arcem in edito ſitam, eam non eſſe Lapurdum in itinerario memoratam, ſicuti initio exiſtimauit Scaliger cùm primum Auſonianas lectiones Lugduni publicauit, quæ loco decliuexo & iuxta mare poſita eſt, à quo longè Lorda abeſt, ſed potius ipſam Baionam eſſe; nam in antiquis martyrologijs epiſcopum Baionenſem, qui nunc eſt, & à Boiatibus populis, quomodo totus ille tractus à Garunnæ æſtuario ad Atyri oſtium olim nominabatur, Lapurdenſium Epiſcopum vocari, & hodie adhuc totum illum tractum, qui ab Atyri oſtio ad Fontem-Aragi pertinet, pagum Lapurdenſem vulgo dici; cuius rei cùm Ioſ. Scaligerum monuiſſet Thuanus, ille ſtatim, vt erat ſummo animi candore, mutauit, & in altera lectionum ſuarum, quæ poſtea coniunctim cum Auſonio Vineti facta eſt, editione totum id de Lorda omiſit. inde per Pontacum ventum Benearni Podium ſiue Pauium, arce & hortis ampliſſimis locum amœniſſimum regia magnificentia ab Henrico IIII. & eius matre Ioanna extructis, in quibus porticus ſtupendæ altitudinis ex topiario opere viſuntur. ibi tum erat Katharina Nauarri ſoror, quæ nullo non genere humanitatis hoſpites excepit. heic Oiſellius neceſſitate muneris compulſus à ſociis diſceſſit, cùm iam Pithœus, vbi ad Atiram venit, reflexo per Seueri fanum itinere reuerſus eſſet. Thumerius & Thuanus ad Thermas Benearnenſeis vulgo dictas VII. abhinc leucis intra Pyrenæum ſcaturienteis per Larunum profecti ſunt. aquæ ſunt ſulfureæ & magno profectu tepidæ bibuntur ab iis, qui calculo & nephritide vexantur, aut obſtructionibus laborant, tantáque ſunt leuitate & tenuitate, vt niſi ſtatim hauriantur, vis earum momento exhalet. neque propterea vaſis transferri poſſunt, vt fit in aquis Lucenſibus, Tuogrenſibus, & Poquenſibus apud nos. habebat in comitatu ſuo Thuanus Germanum iuuenem de cetero ſobrium, qui ſcyphos cottidie intra horæ ſpatium ſumebat. ipſe dimidium per ſeptem dies ſumpſit, potius animi gratia, quam vlla infirmitate ad id adactus. & expertus eſt earum vſu corpus admodum leuari, orexim excitari, exquiſitum in cibis & potu guſtum acui, ſomnum placidum & alacritatem inſolitam totis membris conciliari, nec propterea aluum moueri. à Thermis per Oleronem epiſcopalem ciuitatem, Orthesiam ſchola à Ioanna regina inſtituta celebrem vrbem, Saluaterram, ad Nauarrinum iter fuit, munitionem arte præcipuam, quam Henricus Labretanus Nauarræ Rex in ſolatium amiſſi regni ſic appellauit, & ad reliquá eius in Benearni limite tuenda opida exſtruxit. dein per fana Pelagij & Ioannis ad pylas montium inferioris Nauarræ, quam vocant, opida ſiue municipia, Baſtidam Clarentiæ venerunt, atque heic viderunt & allocuti ſunt Ioannem Licarragum loci paſtorem, qui mandatu Ioannæ reginæ catechiſmum, & Nouum Teſtamẽtum in linguam Vaſconiam ſeu Cantabricam vertit, & typis elegantiſſimis à Petro Haltino Rupellæ excudendam curauit, & operis, nam quis alius potuiſſet? ipſe præfuit. Cantabrica lingua, ſicut Britannica noſtra, & Hibernica ſingulares ſunt, & nihil commune cum ceteris habent, ideoque ſcribi non poſſe putabatur. is autem Ioannes ſuæ & Gallicæ linguæ peritiſſimus conciones patrio ſermone ad populum habebat, in eodem templo, diuerſis horis, in quo ſacra maiorum ritu peragebantur, & quod mirere, nullum hoc inualeſcente iam conſuetudine inter populareis diuerſa ſentienteis diſſidium excitabat. ex Cantabria in Lapurdenſem pagum iter eſt, & Bidachia arce Grammontanorum ad læuam relicta Baionam peruenitur. Atirus per aquas Tarbollicas labens, incidente Gauio, qui à Petra-forata loco egregiè piſcoſo deſcendit, decuſſatim eam interſecat; & plerumque intumeſcentibus ex vicino Pyrenæo ingruentibus aquis parum à ſubmerſionis

periculo vrbs erat, oſtio Atyri ferè arenis oppleto, & parte eius non recta per oſtium, ſed per canalem, qui ad promontorium vulgò Britonum dictum cubitali flexu decurrebat, in mare ſe exonerante. itaque pridem tentatum ſublicis in terram fiſtucatis, & lapideo muro oppoſito, vt canali illo obſtructo, Atyrus per oſtium ſuum aquas demitteret, & recto curſu labens profundiorem alueum ſibi foderet. quod tandem caſu potius, quàm hominum induſtria, accidit, tanta vi aquis recedente æſtu erumpentibus, vt diſiectis hinc inde arenis, quæ oſtium oblimabant, & canali ipſo Britonum per eas, plus quàm per ſublices, obſtructo, oſtium tantæ capacitate fuit apertum, vt rarius aqua in vrbem regurgitet. nec tamen omni metu propterea liberata vrbs, quippe arena rurſus per æſtum maris ſenſim oſtij alueum replente, vnde nuper factum, vt exitum non habentibus aquis magna pars murorum deiecta ſit. heic vt linguam peculiarē, ſic & femineũ veſtitũ mirari ſubiit pro ætatum diuerſitate & tẽporũ conditione varium & multiplicem. nam virgines, maritæ, viduæ, iuuenculæ, vetulæ alios atque alios amictus in funeribus, in nuptiali lætitia, in ſupplicationibus ſumunt, proprijs ad id ſartoribus, qui vrbi & Lapurdenſi circum pago inſeruiunt. nam nullus illarum veſtium alibi vſus, & ſi vſpiam tale ſpectaculum occurreret, pompas perſonatas aut riſu mouendo perſonas ad ſcenam paratas diceres. vrbi præerat regis nomine Io. Deniſius Hillerius veteranus dux poſt Horti vicecomitem, loco impoſitos, homo bonus & vſu militari induratus, adeo vt vinum illo tractu generoſiſſimum, Chaloſſianum vulgo vocant, nulla aqua dilutum citra intemperiem & animi perturbationem biberet, ac noctu capite aperto dormiret. ille hoſpites perbenignè excepit, & cum ſumma ingenuitate vitæ ſuæ rationem illis aperuiſſet, Thumerius eum ad nuptias hortatus eſt, & fidem dextra accepta obligauit, vt de iis quamprimùm cogitaret: quod ille fidei datę obſeruantiſſimus paullo poſt fecit. Baiona diſcedentibus iter fuit primum per lucum ſubere viridantem, & inde ad aquas Tarbellicas, quæ eſt epiſcopalis ciuitas à bullientibus aquis ceteroqui haut magni vſus nomen ſortita. hinc per ericeta cõpaſcua ac mellificio apta, teſtudinibus paſſim oberrantibus, ac pagis longè diſſitis, ſed populoſis, in quibus ruſtici plus pecunioſi illa Nouempopulaniæ parte, quam locis aliis in ſolo vberi, reperiuntur, quippe terræ defectum ſuperante hominum induſtria. quinto poſt die Thumerius & Thuanus ad ſuos reuerſi ſunt. mox peractum Roſtinij iudicium & ſententia ſeuera in eum lata, iactatúmque tota vrbe à $\overline{xxx}$. annis nullum tale iuſtæ animaduerſionis in nobilis conditionis hominem exemplum extitiſſe: quo fiebat, vt paſſim tota Aquitania licenter & immaniter omiſſa iuris via quiſque priuatas iniurias aut vlciſceretur, aut ipſe pro libidine inferret, quod id impune futurum confideret. id inſigni ſub id exemplo patuit. Iucundo cuidam ordinum ductori ſtrenuo & audaci cum vicino milite iuxta Æmiliani fanum capitales inimicitiæ intercedebant, quod fratrem ab ipſo vltimis bellis perfidioſè interfectum diceret. tantam iniuriam vlciſci certus cum perditorum manu noctu comportatis ſcalis domum inimici hominis nihil tale, vt in pace, expaueſcentis circonſtat, & admoto crepitaculo infeſtus cum ſuis intrat, obuiúmque eum, qui ad ſtrepitum nudus gladio ſtricto exierat, cum fratre, vxore, & famulitio paucorum capitum obtruncat. Sed homicidio patrato non diu tardauit vltio. nam per tenebras ad prædam tumultuariè diſcurrentes ſocij in caduum nitrario puluere plenum inciderunt, qui ſcintilla ex fune accenſo delabente ſtatim ignem concepit, & partem domus ſubuertit, ipſóſque latrones aut ruina oppreſſit, aut conſumptis veſtibus ita ambuſſit, vt rurſus veſtiri non poſſent, nudique & incendio deformati armis abiectis ſemineces in pauimento iacerent. Igitur ad rei famam latrunculatoribus ſuperuenientibus tã facilè capti ſunt, quam formidoloſi antea tota vicinia impunè volitabant. qui extra domum in ſpecula remanſerunt, caſu territi aufugerunt. dux facti Iucundus in vrbem adductus eſt nudus ac vulnere ab inimico ſe generoſè per tenebras defendente accepto debilis cum ſociis in plauſtro impoſitis, qui flamma toſti & nigricante ac tumeſcente cute informes nihil humani præter horridam vocem habebant. longo interuallo carceres publici à loco, in quo ius dicebatur, aberant. itaque per totam ferè vrbem eos traduci oportebat. quod factum magno populi concurſu, horrorem facti augente tam terribili ſpectaculo. ex plauſtris complices cùm aliter fieri non poſſet, in area interrogati, ac facti, quippe quod negare nõ poterant, conuicti, ad ſupplicium è veſtigio rapti ſunt, & membris confractis rotæ impoſiti. ipſe Iucundus homo præſtanti ſpecie in conclaue ab armato ſatellitio coram iudicibus ſiſtitur, linteo velatus, nec ex vinculis vt fieri Toloſæ & Burdigalæ conſueuit, cauſſam dixit, quippe quæ indui non potuerant: ibi interrogatus præfracta audacia rem vt erat intrepido vultu narrauit, & homicidium tanquam recte factum confeſſus, etiam ſceleris auſus eſt miſerum hominem à ſe crudeliter occiſum arceſſere, quod eius occaſione factũ diceret, vt optimi milites, ſic graſſatores appellabat, aut ruina obruti aut flammis fuerint vſtolati, de futuro ſupplicio aut illud minime meruerit, aut quaſi non promeruiſſet, planè ſecurus, quod pari animi obfirmatione qua Iudices adlocutus fuerat, mox cum ceteria ſubiit. dignum & ſenatoria grauitate iudicium fuit, quod referente Thuano de virgi-

ne nobili latum eſt, quę religionis colore à matre, nam pater eius ante aliquot annos iam obierat, ſe ſubduxerat, & clandeſtinas nuptias ſine matris & agnatorum ac cognatorum conſenſu cum non ſuæ ſortis adoleſcente non ſecuta copula contraxerat. nuptiæ nullæ & irritæ declaratæ, & matri de raptu conquerenti filia reſtituta, prius monitæ, ne religionis cauſſa vim aut negotium vllum faceſſeret, adoleſcenti item vt prorſus à virginis conſuetudine abſtineret, iniunctum, & ne cum ea deinceps nuptias contraheret, capitali addita pœna prohibitum. quod ad honeſtatem matrimoniorum conſeruandam, quæ illis locis iampridem graſſante clandeſtinatum nuptiarum licentia vileſcebat, tempeſtiuè decretum, deinceps in exemplum fuit, ne raptoribus in honeſtas familias impune inuadere, aut virginibus malè conſultis temere de ſe ſtatuere ſpretis parentibus, aut iis, qui parentum loco ſunt, in poſterum liceret. reliquum tempus priuatorum cauſis decidendis inſumptum vſque ad iuſtitij tempus, quo inſtante decretum, vt locus iuri dicundo Aginni Nitiobrigum deligeretur, & ad S. Martini feſtum proximum iuſſi omnes conuenire. Chriſtophorus Thuanus diuturniorem filij abſentiam non ferens, ſiue mortis proximæ præſagus à rege impetrauerat, vt reuocaretur, & Fr. Godardus ſollertia diligenti adoleſcens nuper in Senatum cooptatus eius loco ſubſtitutus fuerat, is verò abiens conſilium de Septimania & Prouincia luſtranda captum vulgauerat, inde Claromontium in Aruernis vbi illo anno comitiales dies præſide Achille Harlæo ſororio ſuo agebantur, proficiſci certus, vt eum & Senatores qui cum eo erant, officioſè in itinere ſalutaret. id incidit in tempus, quo iam fama de Salſeda Antuerpiæ Andini iuſſu capto & ad regem quamprimum abducendo vbique percrebruerat, eáque res in varios ſermones incurrebat, multis in ſuſpicionem confeſſionibus eius ſiue verè ſiue calumnioſè adductis, & ad Matignonum aula perſcriptum fuerat ab iis, qui eadem conſpiratione inuoluebantur, ipſum ab eo cum aliis proceribus nominatum. quod ille ita ad animum reuocauerat, vt quoniam ſciebat Salſedam de ſe mentitum eſſe, quæcunque de aliis dixerat, itidem falſa eſſe aut calumnioſa exiſtimaret. ad feneſtram ſedebat, ludos qui à pueris in ſubiecta area celebrabantur, deſpiciens, cùm Thuanus diſcedens ad eum venit commeatum petiturus, cū quo ille eo ſtudioſius ac longiore oratione ea de re egit, quòd eum domum reuerti ſciret, & per Septimaniam, vbi Momorantium conuenturus eſſet, iter facturum. itaque cupiebat eum de re omni inſtructiorem ad illum proficiſci. igitur vt Salſedæ fidem eleuaret, eius vitam à pueritia, quam cum ſui ſimilibus egiſſet homicidiis & latrociniis infamem repetebat, poſtremo adulteratæ monetæ Rotomagi conuictum pœnam criminis deſtinatam fuga euaſiſſe. ab illo tempore huc illuc errabundum latuiſſe, à Mercutiano duce, quod matrem vxoris eius aliqua cognatione contingeret, hactenus defenſum. nec minus ſuſpecta eſſe debere, quæ ab Andini aula veniant, in qua homines eiuſdem farinæ polleant, qui vt res in regno miſceant, proceres regi fidos alióſque bonos viros ipſi per calumnioſas delationes ſuſpectos reddere pro ludo habeant. nam quid ſceleratius aut impudentius confingi potuiſſe, quam tot homines innocentes, in quos nec crimen nec eius ſuſpicio cadit, cum paucis, qui ſuſpecti eſſe poſſunt, eadem conſpiratione amplecti? has eſſe illorum aulicorum artes, vt hominis furciferi periculo optimum quemque in fortunarum capitiſque diſcrimen vocare minimè dubitent. itaque ſiue rei poſtulati mores, ſiue eorum ingenium, qui reo has confeſſiones in carcere ſuggeſſerunt, attendas, ſubito conſtitutum, quanta fides de re tanti momenti & quæ quietem publicam tangit, haberi debeat. addebat Matignonus, quicquid iactetur, Andinum decreuiſſe Salſedam in regis manus tradere, ſibi perſuaderi non poſſe, id illos, qui circa ipſum ſunt, vnquam paſſuros. nam fraudem extemplo patefactam iri, & Salſedam, quæ coram ipſis dixit, aut dixiſſe iactatur, recantaturum. id cum ſibi ipſe perſuaſiſſet conſciētia ſua fretus, idem multis rationibus inſuper allatis facilè Thuano cuncta in meliorem partem interpretanti perſuaſit vir profundæ prudentiæ & dicendi efficax, cúmque ita à ſe dimiſit, vt quoties ea de re ſermo incidebat, incidebat autem frequenter, toties ad refutandum, quæ contra dicebantur, ſe paratum magno animo oſtenderet. cum Thumerio & Pithœo Burdigala profectus Moiſacum ad Tarnim venit, opimo cœnobio & antiquiſſimo nobile opidum, vbi bibliotheca optimæ notæ librorum olim plena denuo à Pithœo cum ipſo euoluta eſt. inde per Aquilonium ad Oltam ſitum opidum iter fuit. poſtridie ad Mariæ fanum locum generoſo vino nobilem prandium ſumptum, & cum inde famulitio omni ebrio, quod hoſpita lætiſſima ſpectabat, ſetius in viam ſe dediſſent, quanquam duę tantum leucæ numerentur, nonniſi profunda nocte Aginnum peruenerunt. tum de longitudine itineris querentibus, Secondatus is, quem iam dixi, qui cum facibus obuiam venerat, ad eos placandos rem priuata tradentibus memoratu non indignam narrauit. Martinum Fumeum Adeneti, qui Ludouici olim XI & valetudinis & negotiorum præcipuam curam commiſſam habuerat, nepotem, libellorum ſupplicum magiſtrum, quæ ſumma tunc erat dignitas, cū ea nondū numero viluiſſet, eùm ante XXX. annos ineunte hieme ad Mariæ fanum itidem veniſſet, & poſt prandium Aginnum petiturus eſſet, hoſpitem magnopere

apud ipſum inſtitiſſe ne ſe viæ committeret, nam fore vt nocte opprimeretur, & magnis difficultatibus in itinere iam lutoſo conflictaretur. illum tamen accelerandi cupidum, & ad binarum leucarum ſpatium, quod intercedere dicebatur, reſpicientem equos conſceſdiſſe, & quod illi prædictum fuerat, peiúſque accidiſſe, ipſo in lutum prolapſo & vix per tenebras à ſuis voragine extricato. cùm igitur nocte iam media ad vrbem, ad quam ſollicito magiſtratu expectabatur, vix tandem perueniſſet, gratulantibus & excuſantibus obuiis, illum de via feſſum auerſo vultu in hoſpitium conceſſiſſe, & mane adhuc ſubiratū, cùm tribunal conſcendiſſet, ante omnia edixiſſe, vt deinceps à Mariæ fano ad Aginnum, ne viam facientes deciperentur, VI leucæ numerarentur. rebus ad proximam ſeſſionem in vrbe ordinatis Pithœus & Thuanus in Vaſconiam, quam vocant, tranſmiſſo Garumna excurrunt, & Lactoratum primo Armeniaci principatûs caput epiſcopalem ciuitatem edito loco ſitam petunt, quo multa iam nocte nec citra periculum veniunt, dum mœnia circumirent, à præſidiariis paullum abfuit, ſcloppetorum ictibus infeſtati. tandem admiſſi, & manè ab Aſtaraco Fontetalio principatus præſide perbenignè excepti, excuſata etiam præſidiariorum temulentia. diem integrum in ea quieuerunt, dum poſitum eius & Monlucij, qui eam olim obſidione ceperat, caſtrorum rationem contemplantur. fuit olim in ea Romanorum præſidium & Tauropolium frequens, quod crebræ lapidum inſcriptiones indicant, templo, quod his bellis immani barbarie dirutum fuit, conſtruendo paſſim appoſitorum. luſtrata & arx, in qua olim Armeniaci Comes Ludouici XI. temporibus, nec eo vt putatur, inſcio interfectus fuit, cruore in parietem ita inſperſo, vt hactenus in hunc vſque diem deleri non potuerit. id in memoriam reuocat recentis facti in eadem arce patrati plane cum iucundo nuper memorato gemelli, etſi diuerſo exitu de quo cùm paucos ante dies aliquid ex Gratiano Burdigalæ inaudiuiſſet Thuanus hiſtoriā ex præfecto arcis, qui tunc erat, denuo explicari voluit. ſic autem res habet. is qui ante ipſum loco præfuerat, Balanus nomine, homo pugnax & bellis Turcicis innutritus, amicum ex vicinia in comitatu habebat, præcipuæ inter præſidiarios dignitatis, qui ſororem ſuam ſeu blandiciis ſeu ſpe nuptiarum ſe inſcio corruperat, dein à præſidio diſcedens cum alia matrimonium contraxerat. quod vt illa reſciuit, eiulabunda & paſſis crinibus fratrem adit, & quod ſibi cum perfido homine acciderit, multis cum lacrimis aperit. ille vt erat in audendo promptus, in perſequendo pertinax, in periculo intrepidus, ſororem ſilere iubet, & vultum componere, rem ſibi curæ fore. agitur aliquot dies elabi ſinit, omniáque interea amicitiæ officia ſibi cum illo conſtare ſimulat, tandémque incogitantem ad ſe ex occaſione cum aliis pleriſque inuitat & in arcem admiſſos opipare accipit. menſis remotis & dilapſis conuiuis illum ſedere iubet. & mox per ſatellites ad id paratos catenis onerat. tum quaſi pro tribunali ſedens reum interrogat, infitias euntem teſtibus productis cōuincit, etiam ſorore, quæ aliquandiu latuerat, velo amoto quaſi ex machina comparente, cuius præſentia turbatus reus conſuetudinem cum illa ſe blandiciis prouocante quidem confeſſus eſt, ceterum vllam de nuptiis factam mentionem aut de iis datam fidem negauit. tum Balanus in iudicis officio pergens confeſſionem ſcriptis ab amanuenſi mandari iuſſit, & à reo ſubſcribi, tandémque & teſtium fide & ſua ipſius cōfeſſione cōuictum ad mortem damnauit, & qui iudicis, accuſatoris, teſtis cognitoris partes huc vſque impleuerat, ad extremum etiam carnificis vicem ſupplere voluit, & miſerum hominem Dei & hominum fidem implorantem, & hoſpitalis menſæ ſacra violari nequicquam quiritantem ſtricto pugione confodit, ſtatimque corpus ad ſuos remiſit, ad Nauarrum autem, à quo arci impoſitus fuerat, ne quid caſu eo turbaretur, literas manu propria ſcriptas dedit, quibus facti ſeriem explicabat, adiuncto actorum cauſſæ exemplo. nam ſcidas manu rei ſubſcriptas penes ſe retinuerat, & iuſti doloris in vleiſcenda tam graui iniuria excuſato calore nihil niſi iure & ſeruato iudiciario ordine factum fuiſſe cōtendebat, proinde impunitatem petebat, & ſe arcem, cui iuberet, tradere paratum oſtendebat, ſatis ſibi quippe eſſe, quod iniuriam in arce commiſſa acceptam, in eadem & eius beneficio vlciſci ſibi licuiſſet. Nauarrus etſi facti atrocitate & hominis audacia perculſus, tamen veritus, ne hoc rerū ſtatu & deſperatione gratiæ extrema cōſilia ſequeretur, de impunitate fidem interpoſuit, & ſibi fidū ſtatim miſit, qui arcem ab eo acciperet. quod ille literis Nauarri acceptis ſine tergiuerſatione fecit, & in domum ſuam ſatis in proximo munitam cum familia omni conceſſit. Lactorato Auguſtam Auſciorum itum itidem in Armeniaco principatu, archiepiſcopali dignitate cum ampliſſimis reditibus ornatam ciuitatem & olim Nouempopuloniæ caput, eam ſedem tenuerunt Hippolytus & Aloiſius Ateſtini Cardinales, & ante eos Franciſcus Turnonius Cardinalis, qui & ludum literarium in vrbe inſtituit, adeo vt modicis aut nullis literis tinctus, ſed ingenti ad res præclaras & eo faſtigio dignas artes amplectendas animo præditus literas & literatos ſummo amore proſecutus tota vita fuit, quod & ſchola illa ampliſſima Turnonij, à quo illuſtriſſimæ genti nomen, in Viuarienſi pago nunc etiam orbi Chriſtiano teſtatur, & dum vixit ipſe abundè teſtatus eſt, cum homines literis præſtantes domeſticos ſecum in

aula

aula in Italia & peregrinationibus comites duceret, & tanta cura foueret, vt Arnoldus Ferrerius, qui in eius familia diu ex eo numero fuerat, dicere ſoleret, nunquam ſe domitam placide & adſidue ſtuduiſſe, quam dum Turnonium ſequeretur. ſic enim illi in comitatu aulico vſum fuiſſe, vt ſimul atque ex equo deſcendiſſet, conclaue Philologis ſuis deſtinatum ante omnia adiret, & inſpiceret, an capſæ librorum, quæ peculiaribus mulis portabantur, & ne mora fieret, cum iis, qui lectum & ſupellectilem chartaceã ſuam portabant, pariter incedebant, aduectæ eſſent, quibus aduectis & menſis cum ſedilibus appoſitis ad ſtudium illos hortari, ipſum vero ad regem, cui in ſumma rerum imperij ſeruiebat, pergere ſolitum fuiſſe, ad prandium vero cum menſa eius cunctis extraneis magnifice pateret, cœnam ad paucos & familiareis contractam fuiſſe, cui Philologos ſuos adhibebat, & de literis diſſerẽteis libentiſſimè audiebat. & hoc extremis Franciſci I temporibus, quibus Petrum Daneſium, ipſum Ferrerium, Ioannem Vincentium Lauteum, Dionyſium Lambinum, Muretum, qualeis viros? ſimul inter domeſticos habebat. videãt nunc qui in eadem bona ac dignitatem ſucceſſerunt, an eam pari hodie largitate ac diſpenſatione tueantur. luſtratum in ciuitate maius templum, quod ſi pari ſplendore ac ſtructura, qua inchoatum fuit, conſummetur, pauca habebit non ſolum Gallia, ſed vniuerſus Chriſtianus orbis, quæ cum eo comparare poſſit. nam chorus cum ſedilibus egregij operis finem acceperat, & in nauis alis hinc chorum inde nauem ipſam cingentibus laborabatur. heic & luſtratum S. Orentij templum, in quo & parœcia eſt, id infimæ vetuſtatis paullum à ruina abeſt, quamuis opimis vectigalibus dotatum cœnobium, quod ad Cluniacenſem metropolim pertinet, in eoque iuuit ſpectare altaria hinc inde in templo poſita, quæ ſunt ſepulcra martyrum, ad quæ Chriſtiani cetus olim celebrari ſolebant, nõ menſæ vt ſunt noſtra ſpecie plana iacentia, ſed dorſi gibo aſſurgentia cum nota labari inſcriptione, quæ duabus literis Græcis Chriſti nomen refert. quod purioris antiquitatis ſeculum proculdubio arguit. inde per Caumontium, Sommatanam, Lombariam, Sigiſmundi fanum venerunt Pibracium, quo loco illos Vidus Faber loci dominus, qui per iuſtitium Lutetia illuc euolauerat, præſtolabatur, & lautiſſime excepit, accedente ad ceteras lautitias & elegántias læto vultu hoſpitis. heic tridui mora deãbulationibus in aula domus & per hortum cum Vido facta, plus heri ingenio quam loci natura aut cultu nobilem. nam in eo & in ſtructura domus omnia modica, de cetero ſupellex, lecti, veſtis ſtragula, aulæa, tapetes, ſumptus omnia regia. de Salſeda ſobrie loquebatur Vidus, ita tamen vt peius de eius confeſſionibus, quam videri in ſpeciem volebat, augurium Thuani iudicio faceret. itaque cum eo minore cõtentione opus fuit. tum prolati Pithœo inſtante II priores de re accipitraria libri, quos ille ſeorſim auidiſſime legit, argumento plus quam opere ipſo allectus, quippe qui venationibus omnis generis impenſe delectaretur, & eam nouitiam nondum Latine ſatis explicatam exiſtimaret. cum de Franciſco, cuius mors ſub finem prioris libri deploratur, hæreret, & de alio Franciſco hęc dici putaret, cognito Momorantium paucos ante annos ingenti bonorum omnium & publicæ rei iactura regno ereptum deſignari, non mediocriter lætari viſus eſt, quod artam cum eo amicitiam coluiſſet, laudatáque Thuani pietate vt pergeret, & tertiam de medicina accipitrum, quam titulus pollicebatur, partem abſolueret, hortatus eſt. renouata interim vetus Fabrorum Tholoſanorum cum parente Thuani neceſſitudo, cum illi non ſolum Toloſæ; ſed toto regno exagitati exiguum in aula, nullum in Senatu præſidium reperirent, inualeſcente pridem inter noſtros praua cõſuetudine, vt amicitias ſola vtilitate metiẽtur, & quas ſibi forte detrimentoſas putarent, eas nulla honeſti habita ratione aut oblatas turpiter vitarent, aut cõtractas perfide deſererẽt. Enim vero vnus repertus eſt præſes Thuanus, qui innocẽtiæ ſuæ fiducia alios innocenter periclitanteis tutari auſus eſt. & ſummam animi præſentiam in ſuſcipienda eorum cauſſa, nec minorem in tuenda conſtantiam ad extremum vſque ſeruauit. hæc recto vultu à Vido cum iactari videret Pithœus, qui Thuani generoſã probitatem & prudentem ſimplicitatem apprimè ſuſpiciebat, immane quantum lętabatur, & Iacobus Aug. Thuanus ad patris laudes etſi verecundia aliqua tangebatur, tamen non poterat non magnopere in ſinu gaudere, quod eas à viro laudatu proficiſci intelligeret, angebat tunc Vidum, quod ei cum Margarita Nauarri vxore, cuius ſigillorum procurationem adminiſtrabat, interuenerat ſribuſculum, & ad amarulentas eius literas, quibus illi inter alia propenſiorem in amores, quos ad ipſam vſque porrigere voluerat, animum exprobrabat, reſponſionem meditabatur, quam cũ adoleſcente Thuano, apud quẽ maiore excuſationis ſpe hæc dici poterant, pomeridiana deambulatione communicauit, ſeorſim à Pithœo, quem ei iſtarum conſcium facere ſuppudebat, memoriter loquebatur, ſed adeo accuratis verbis, tantáq. contentione & affectûs vehemẽtia, vt Margaritæ exprobrationi fidem aſtrueret. Eam reſponſionem ſumma arte & ornatu ſcriptam mox ad illã miſit, quæ poſtea per hominum manus volitauit. Erat in eo viro incorrupta probitas, verus pietatis & de repub. ſenſus, generoſus & ad magna natus animus, ab omni auaritia alienus, morum comitas, & oris ſpecies ac totius corporis geſtus ad elegantiam compoſitus, mitis facũdia, ad hæc à pueritia ingenium puriore literatura ſub Petro Bunello & poſtea

Iuris antiqui ſcientia ſub Iacobo Cuiacio non modo excultum ſed planè ſubactum, ſed quod ſegnitie & deſidia plerunque torpeſcebat, vt nihil merito in illo deſiderares præter excitatiorē & minus obnoxiū animū. cum puriſſime ſcriberet Latine, poeticā facultatem exercuerat patria lingua, noſtri Ronſardi æmulatione, meruitque vt à quo, ſicuti & ante eum Ronſardus, aculeate petitus fuerat, odio in amorem, quod inter virtutis via graſſanteis fieri amat, verſo, deinceps ab eodem ſumma obſeruantia coleretur, exteriſq. gentibus vbicunque literæ vigent, commendaretur, quaternionibus vernaculis græce latinéq. tāta elegantia redditis, vt qui vulgo apud nos puerorum ingeniis domi formandis vſurpantur verſus, iiſdem in ſchola in vtramque linguam erudiendis haut ſine fraude diſcentium in poſterum adhiberi poſſint. addam, vt nihil magni viri elogio deſit, Fabrorum gentē Toloſæ prænobilem Auſciis oriūdam, & iam Caroli VII & Ludouici XI temporibus ſumme celebrem fuiſſe, ſub quibus Gratianus Toloſani Senatus præſes in magno regis conſilio, quod eſt hodie arcanum principis conſiſtoriū, magna integritatis & ſollertiæ laude præcipuum locum tenuerit. à tanto hoſpite humaniſſime dimiſſi Thuanus & Pithœus, vbi Legauinū tranſierunt, in latiſſima planicie Toloſam eminus conſpicati ſunt, toto regno, ſi Lutetiam excipias, ampliſſimam, ſi multitudinem & pulchritudinem ſacratum ędium, Senatûs poſt Pariſienſem primarij dignitatem, ſcholarum frequentiam, ciuium opes, & ædificiorum ſplendorem ſpectes, aut parem aut paulo inferiorē, vt non minus quā olim Palladiæ nomine hodie gloriari & poſſit & debeat. in ea luſtrāda aliquot dies conſumpti, quorū magnā partē cū Franciſco Roaldeſio I. C. Pithœus exegit, quem & prælegentem Valentiæ Segalaunorum audiuerat Thuanus, & tunc officioſe inuiſebat, ab eoque multa de Aquitaniæ & Septimaniæ vrbibus, fluuiis, locis ſcitu digniſſima didicit. per tēpla, baſilicas, loca publica deduxit eos archidiaconus Galandus Fabrorum familiaris & quaſi domeſticus, homo feſtiuus, nec literarum ignarus, rei herbariæ imprimis peritus. Capitolium etiam iuuit inſpicere, & iudicum vrbanorum in eo famoſiſſimū tribunal, & præcipui cultus Iſauram virginem, quæ poeticæ ante CC annos certamen inſtituit & victori præmia poſuit. ab eodem Galando & Sanjorium deducti ſunt, vbi per iuſtitium ruſticātem ſeu potius literis, quantum per valetudinem licebat, vacātem Petrum Fabrum Præſidem Toloſanum offenderunt. Vidi patruelem, in quo maior diligentia & aſſiduum magis ſtudium, quod ſcripta ab eo edita euincunt, & in iis commentarius in iuris regulas præceptori ſuo Iacobo Cuiacio dicatus, diſpar à Vido ingenium & foro magis quàm negotiis in aula gerendis aptum, de cetero par pietas & probitas, nec minor morum comitas. cum Pithœo, quem iam pridem in iuris ſcholis cognouerat, multus illi de literis communibus ſermo. aderat vxor forma & moribus lectiſſima fœmina Franciſci Riuiij Narbonæ præfecti ſoror, æque de viri valetudine ac hoſpitum commodis ſollicita, quæ nullo non genere humanitatis homines marito acceptos & ipſa accepit, & per triduum abiturientes detinuit. hinc Thuanus & Pithœus Montalbanum petierunt, vbi Cl. Grāgeū & R. Conſtantinum viderunt, & tandem iter diuiſerunt. Pithœus Aginnum reuerſus eſt, Thuanus Toloſam repetiit, vt inde in Septimaniam deſcenderet, & poſtridie quam illuc venit, in viā ſe dedit, non ſalutato Io. Stephano Durantio primario pręſide, quod ille ſummopere expetebat. & ſane prętermiſſi officij ſemper poſtea Thuanum pœnituit, ſed quia primo appulſu cum Pithœo id iam omiſerat, ob aliquas cauſas, quæ nouæ claſſis dignitatem reſpiciebant, non æquum putauit, quod præſente illo non fecerat, per eius abſentiam ſupplere. per Monteſquium ad caſtrum Arrij prima die hoſpitium ſumptum, ac biduo poſt Carcaſſonam venit ad Atacem ſitam, qui ſuperiorem, in qua maius templū atque adeo epiſcopi ſedes & arx, & inferiorem vrbem, in qua ius dicitur, ſpatioſa admodū planicie media, in qua olim vtrimque populoſa ſuburbia erant, interſecat. habebat à Vido literas commendatitias ad prætorem vrbis, iudicem maiorem vulgo vocant is erat Raimundus Ruſus, qui contra Carolum Molinæum in cauſſa edicti anni CIↃ IↃ LII. pro Pontificis Maximi auctoritate ſcripſit, homo priſcæ grauitatis, quam grandi corpore & oris ſpecie referebat, primúmque tirocinium in Pariſienſi foro fecerat. & de Chriſtophoro Thuano, quem in eo cognouerat, Thuanum multa percontatus eſt, & per omnia officioſe deduxit. luſtrata arx, in qua veteris militiæ nunc poſt ſcloppetorum vſum obſoleta inſtrumenta viſuntur, & præterea complures Hebraicis literis manu ſcripti codices, vt vero fit ſimile, illuc congeſti, cū Iudæi toto regno atque illis locis exterminati ſunt. multa item in Albigęorum cauſſa iudicia lata, & acta ac confectæ tunc aduerſus eos probationes. Carcaſſone Narbonam venit, vbi & ad Baliſtam ciuitatis ſyndicum commendatitias à Vido literas itidem habebat, qui inſcriptiones illis locis crebras diligenter collegerat, & paſſim in propugnaculis laceras & diſperſas per ſingula Thuanum ducens oſtēdebat, tum eum ad inſignem illam aram pro valuis maioris templi poſitam duxit, quæ ab Elia Vineto ſeorſim edita eſt, & in magno Inſcriptionum volumine primum à Smetio, & poſtremo à Iano Grutero cum aliis cōprehenſa eſt, multa in ea ciuitate antiquitatis monumenta, vt quæ Galliæ partem citra Alpeis & Lugdunū ac Viennā de ſuo nomine ap-

pellatam conſtitueret, itaque Prouinciam & Septimaniam & in illa Volcas & Tectoſages complectentem. G. d. Ioüſam Septimaniæ ſub Momorantio legatū, coique in ea fere manebat, honoris cauſa ſalutauit, cum eoque & vxore ac numeroſa familia ſacrum in maiore vrbis templo audiuit ad ſacellū, in quo admirandi operis tabula à Michaele Angelo Bonarota deſignata & à Sebaſtiano Plombinenſi depicta Lazari à morte ſuſcitati hiſtoriam referente ſpectatur, Hippolyti Medicei Cardinalis donū, quod in memoriā reuocauit famoſum illud a Georgio Vaſario Arretino memoratum certamen inter nobiliſſimos huius æui pictores Michaelem Angelum ipſum & Raphaelem Vrbinatem, & poſitū à munificentiſſimo illo præſule vtrique præmium, quod morte eius indeciſum fuit relictum, altera Michaelis quę prior abſoluta fuerat, huc ſuperſtite adhuc Hippolyto tranſlata, altera quæ aſcenſionem Domini repræſentat, mortuo eo Romæ, vbi certamen inſtitutum fuerat, ad S. Petrum in Montoriu dedicata. in choro medio Philippi B. Ludouici F. & Philippi Pulchri parentis corpus cum effigie marmorea viſitur, qui ex ambiguo illo prœlio ad Genuam in Ruſcinonenſi principatu cōmiſſo, in quo Petrus Arragonius cęſus eſt, rediens Perpiniani anno CIƆ CC XXV deceſſit, & Narbonam proximam inde tranſlatum eſt. Ioüſa ad prandium inuitauerat Thuanum, verum ille ſe excuſauit, partim quod non tanta cum illo familiaritate vteretur, partim quod vereretur, ne ſi id maligna delatione reſciſceret Momorantius, apud eum ſuſpectus accederet, ad quem integer venire cupiebat. igitur per lucum tamaricis conſitum & latronibus infamem, vnde loco nomen, cuius ratione Biterras tamariciferas in hieracoſophio vocauit, ad ciuitatem venit, in qua erat Momorantius, ab eoque humaniſſime acceptus fuit, & poſt honeſtati verba & egregiā erga Chriſtophorum totámque familiam eius teſtatam voluntatem, ſtatim de Salſeda iniecta mentio, de cuius confeſſionibus certiora ille cognouerat per Mathurinum Carterium nuper è Belgio profectum. hic Thuanus iiſdem, quibus à Matignono inſtructus fuerat, rationibus confeſſiones illas exagitare, Momorantium contra initio pertēdere nō vana eſſe quæ iactabantur. ſed vbi Thuanum vidit pertinacius contra diſputantem, ſubſtinuit impetum, tantúmque ſubiecit, ſe per hominem rei gnarum poſtridie cum eo acturum ita vt cum apud epiſcopum Thuanus cœnaſſet, & mane condicta hora epiſcopus eum ad maius templum duxiſſet, ambóque ſupra tectum lapide conſtratum conſcendiſſent, vnde pulcerrimus & gratiſſimos in omnē vndique viciniam proſpectus, Momorantius ocreatus ſubito comparuit cum Carterio, ſeductóque Thuano, en hominem, inquit, per quem tecum de Salſeda acturum heri me receperam. illum audi, qui parentem tuum Lutetiæ in tranſitu conuenit, & poſtquam ſub veſperam rediero de re omni plenius loquemur. medio inter Biterras & Narbonam itinere locus condictus erat, ad quem Anna Gulielmi filius & ipſe Momorantius de rebus ſuis capita conferrent. is cum Lugdunum vſque regem proſecutus eſſet, petita venia ad patrem inuiſendum Rhodano ſecundo deſcenderat, & monito prius Momorantio, per mare vitato terreſtri itinere, Narbonam eodem die, quo Thuanus hinc diſceſſerat, nauibus appulerat. interea Carterius ſecedente epiſcopo cum Thuano loquitur, & quid Antuerpiæ actum ſit, oſtendit, addit indicia & cōiecturas, quibus inductus Arauſionenſis Salſedā & Egmondanū ſimul capi curaſſet, Salſedæ ſecreta cū Parmēſi colloquia, comite illi ab eo datum, qui dū ducitur, ſibi manus attulerit, & vt hæc omnia procul à calumnia abeſſe confirmaret, iam Salſedā Bellieureo traditum & ad regem deductum. quod non faceret Andinus, nec ij quorū conſilio vtitur, fieri paterentur, ſi per calumniam hæc eſſent commenti. tum multa inter eos hinc inde per altercationes tranſacta, & ad validiſſimum Thuani contra delationes illas ſiue confeſſiones argumentum, quod nimirum Salſeda in coniuratione tam deteſtanda complures amplexus eſſet, quorum innocentia & fides perſpecta aliarum criminationum fidem labare faceret, Carterius reſpondebat, fieri poſſe, vt aut Salſeda ipſe ſibi metuens, & periclitanti præſidium quęrens illos calumnioſe nominauerit, aut qui illum ad facinus audendum induxerunt, quo maiores animos facerent, plures quam re vera eſſent, conſpirationi nomen dediſſe perſuaſerint. ceterum parentem ipſius, quem Lutetiæ clam Andini iuſſu viderit, ita ſentire, præcipitandum non eſſe iudicium, & diuturno carcere rem potius maturandam, quam ſupplicij intempeſtiui grauitate exacerbandam. ita pro tempore diſceſſerunt. ſub veſperam redit à colloquio Momorantius, & vocato Thuano, ac ſermonibus, quos cum Ioüſa habuiſſet, expoſitis, omni beneuolentiæ mutuæ ſiue ſinceræ ſeu fucatæ, vt inter proxima cognatione coniunctos, ſignificatione plenis, ad Salſedam relabitur, & ecquid poſt auditum Carterium de re tota ipſi videretur, rogat, cum perſtaret Thuanus, neque tamen ita obſtinate, vt prius, pugnare videretur, tempus optimus magiſter, inquit, nos cetera docebit, ſane ad regis prudentiam pertinet, & eorum qui circa ipſum ſunt, ne in re tanti momenti oculos potius clauſiſſe, quam aperuiſſe dici poſſint. quibus dictis cum in cubiculum pergeret, commeatum ab eo petens Thuanus per P. zenacum iuſſus eſt iter facere, vbi Momorantij vxor erat; addito ſibi comite ipſo Carterio;

dum poſtridie vna iter facerent, res ſub crepuſculum incidit, quę infelicem exitum, qualem poſtea habuit, Carterio portendit. per callem anguſtum & inter præruptas crepidines depreſſum præceſſerat ille. Sequebatur Thuanus, tum ruſticus armatus, vt ſunt fere illis locis, ex crepidine tranſeuntem rogat, an is Carterius eſſet, qui præcedebat, & quærenti cur id rogaret, ſubito à ruſtico reſponſum, lætari ſe, ſi is eſſet, nam fama ſub id percrebruiſſe ipſum ſuſpẽdio necatum. tum Thuanus alta voce reuocatum Carterium ſiſtit, & quid à ruſtico, qui interim diffugerat, intellexerit, refert, monetque tam mali augurij ſit memor, & in rebus gerendis cautior in poſterum ſibi conſulat. verum ille, vt erat ſecurus omnium rerum atque adeo magnus periculorum contemptor, alto cachinno monentem excepit, & poſtquam in hoſpitium venit, de Bellogardio, cui negotiis æque periculoſis operam nauauerat, & conſiliis eius vltimis, de morte item, quam dignam anteacta vita inritus eſt, multa cum riſu & ſecuritate eadem narrauit. quæ heic omittere, quia offenſioni cauſam præbere poſſent, publica è re & ſuorum dignitate viſum eſt. ſic autem ipſe de ſe iactabat. Dolenſi ſe ciuitate in Armorica ortum, propter mores à patre & patria profugum nauem forte nactum adhuc puerum conſcendiſſe, & Burdigalam appuliſſe à ſacri collegij ſodali primum ob vernilitatem in familiam aſcitum, dein cum Latine vtcũque ſciret, artem notariam in Curia Eccleſiaſtica didiciſſe & exercuiſſe. tum iam vegetum adoleſcentem ſcorti, quod herus ſenex alebat, ſtupri conſuetudine gratiam ſibi conciliaſſe, & per eam heri communis ingenium moderari cepiſſe, ac tandem in bona morientis inuolaſſe, ac heredum in iure perſecutionem veritum Toloſæ primum, deinde inferiorem Septimaniam migraſſe, & ſe in epiſcopi Aletenſis ex illuſtri Ioiüſarum gente familiam inſinuaſſe, & notariam ſuam feciſſe, tùmque ob viciniam præfecturæ Saltuenſis in Pyrenęo cum reliquiarum Vandalicarum ſodalibus ſocietatem iniiſſe, atque adeo cum duce illorum, & filiam eius in vxorem accepiſſe, & per turbas, quæ illa prouincia frequentes ſemper fuerunt, indigenis, cum ſe vbique interponeret, innotuiſſe, adeo vt in ea natus, adultus, inſtitutus crederetur. poſtea Momorantio ab epiſtolis fuiſſe, & poſt fœdus cum Proteſtantib. initum & mox abruptum ad Bellogardium tranſiiſſe, quo mortuo Audino operam ſuam addixiſſe. hæc viæ comitibus dum per noctem à culicibus infeſtati vigilarent, tanquam pulcra facinora narrabat, interſertis plerunque fabellis Apuleianæ Metamorphoſi non abſimilibus, quæ hominis hinc ſubleſtam fidem, hinc ſtupẽdum eius ingenium audientibus faciebant. Pezenaci Thuanus Momorantij vxorem in arce ſalutauit, à qua perhumaniter exceptus eſt, & inde relicto Pezenaci Carterio Monpelium venit, vbi tunc Condæus erat, vt quod ſupererat donationis propter nuptias à rege factæ à loci illius coactoribus reciperet, & tunc forte cum Franc. Colinio Caſtellionæo vrbis præfecto extra pomerium ſpatiabatur, qui vbi eminus Thuanum vidit ex equo, vt ipſum ſalutaret, deſcendentem, properantémque vltro obuiam profectus humaniſſime excepit, ſuperioris anni colloquiorum cum eo habitorum memor, & ad prandium in ædes Fizanas ſecum duxit. ibi iniecta de nimia iam tum deteſtabilium duellorum frequentia mentione, cum Iſaacus Valdræus Moius, qui cum aliis è nobilitate aderat, ea decoris tuendi, cui vitam vere nobilis animus poſthabere teneatur, neceſſitate excuſaret, Condæus ſumma & tanto faſtigio digna grauitate interfatur, & magno errore homines in eo decus & veram gloriam reponere dixit, quod glorię Dei, ad quam omnia conſilia noſtra & actiones dirigere debemus, & mandatis eius, in quorum obſeruatione vita æterna conſiſtit, aduerſaretur, nec niſi pro patria iuſſu principis aut inculpata corporis tutela cuiquam gladium ſtringere fas eſſe pronuntiauit, conuerſáque ad paſtorem, qui poſt ſedile ſtabat, facie, quo maiorem ſententiæ ſuæ fidem adſtrueret, ab eo coram quæſiuit, an ſalua conſcientia priuatis iniuriis vlciſcendis liceret ad certamen venire, & cum ille non licere, nec niſi cum certo damnationis æternæ diſcrimine id fieri reſpondiſſet, hoc iam conſtanter, inquit, tenete & auctore me, qui pro decore veſtro & gloria vltro me ſponſorem & prædem offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis veſtris in poſterum delete. quibus dictis cuncti ſurrexere. tum poſt alios de Repub. in arcano ſermones habitos, & Salſedæ, ſed minore quã antea contentione diſcuſſas confeſſiones, Thuanus ſalutato hoſpite diſceſſit, & mulo pulcerrimo egregie inſtrato ab eo donatus per ſtagnum ſubiectum Aquas-mortuas delatus eſt, locum olim portu celebrem, & ex quo cum ad bellum ſacrũ principes noſtri proficiſcebãtur, ſere ſoluebãt, nunc prorſus oblimato & inutili in opido Cõſtãtina turris antiqui operis viſitur, quę preſidio ſeruatur, ex qua olim circũnauigantibus ignis ſpeculatorius accendebatur. inde reflexo itinere relictis ad dextram Peccaienſibus ſalinis, & campo Marij vulgo dicto, qui pręingui ſolo cõmendatur, & foſſa Mariana ac Rhodano includitur, Nemauſum ventum in Volcis Arecomicis à fonte cognomine, qui & adhuc ante vrbẽ magno ſtrepitu ſcaturit, Auſonio dictũ, qui amphitheatro & immanib. æui priſci ruinis, quam aliæ nouitiorum ædificiorum pulcritudine illuſtrior, ſuperciliosa vetuſtate recentem illarum ornatum deſpicit, & dignitatem priſtinam ſeruat. Antoninorum beneficio in tantã amplitudinem creuit, quorum vnus & alter

in ea

in ea natus, vt Narbonæ Carious. in proximo delubrum ſpectatur tempore obſidionis à ciuibus ſemi dirutum, cuius qui remanet fornix dimidius integri operis auget deſideriũ. accedit ad tantam magnitudinem pons triplex arcuato opere Gardoni haut hinc longè inter montes iuxta Pontani fanum impoſitus ad ducendam aquam, qui poſt tot ſecula non ſine ſpectantium ſtupore adhuc integer cernitur. inde per Aramontium & Monfrenium [illegible] ad dextram Belloquadro Villam nouam in citeriore ripa atque adeo in terra regia ſitum, locum Carthuſianorum cœnobio & vico ruderibus, ex quibus inſignia Cardinalium tantum hodie remanent, nobilem. hic pons adhuc ditionis regiæ tranſmittit [illegible] qui non tectus, ſicut ſuperior ad Spiritus fanum, ſed multis ſinibus ſerpens propter fluminis violentiam & vim ventorum ita commodior repertus eſt. tum Auenio aſſurgit Cauarum caput, nam Valentia non ad Cauares, vt doctiſſimus Cuiacius exiſtimauit, ſed ad Segalaunos pertinet, mœnium ſtructura & palatij rupi affixi mole cum quibus vis orbis Chriſtiani vrbibus comparanda ciuitas, quo à Clemente v. ſedes Pontificia anno cIↄ ccc vi. tranſlata eſt, imperij Philippi Pulcri xxi. in eaq; Pontifices ſedetũt vſque ad Benedicti xi. tempora, qui anno cIↄ ccc lxxvii. inde ſoluẽs ad vrbem Romam xvi. Kal. Febr. appulit. heic Thuanus Georgium Armeniacum Cardinalem, qui per Caroli Borbonij ſenioris abſentiam legati munere fungebatur, ſalutauit iam octogenarium, & de proroganda vita admodum ſollicitum, de cetero humanum & erga hoſpites benignum, apud quem & prandium ſumpſit, mox à prandio, nam ad lectum inde ſtatim tranſibat, petito commeatu diſceſſit, & ad Henricum Engoliſmenſem Prouinciæ præſidem, qui tũc in vrbe erat, diuertit, & cum eo de Salſedæ rebus multum ciũque locutus eſt, Henricúſque in id propendere viſus, non omnia omnino vana eſſe, quæ Salſeda confeſſus fuerat, quamuis in quibuſdam nonnihil variaſſe diceretur. Auenione per Taraſconem, cui in altera ripa Belloquadrum reſpondet, ſecundo flauio ventum, & inde Arelatum, vbi Archiepiſcopalis ſedes quo tempore inſtituta, incertum, Trophimi ſiue illius qui à B. Paullo commemoratur, ſiue alterius poſterioris cognominis nomine conſecrata, imperatoriæ dignitatis veſtigia adhue ſeruat, quæ quo breuior fuit, eo minores ſui reliquias fecit. pontis tamen, qui duplicem vrbem iungebat, adhuc pilæ quædam in Rhodano ſuperant, ſed nihil prorſus alterius vrbis, quæ in citeriore ripa erat, ampliſſimi amphitheatri rudera & ſepulcra paſſim iacentia magnitudinem eius etiam hodie teſtantur, & nunc nobilitate præcipua, quod in aliis Galliæ noſtræ prouinciis non vſu venit, inquilina gaudet, & maiora vectigalia publica quàm vlla alia regni ciuitas, poſſidet. Arelatum loco paludoſo ſitum, qua flumen reſpicit, ad Auſtrum & ortum ſaxoſus campus excipit antiquis memoratus, qui deriuato ex Druentia canali nonnihil cepit miteſcere, & qua parte colitur, inter ſaxa illa optimum & puriſſimum frumentum producit. heic Celone caſtello, in quo Engoliſmenſis præcipuum domicilium habebat, ad dextram relicto, Sanchamatium itum, in ſtagni Martegiani ſalinis nobilis capite ſitum, & crypta in ſaxo excauata ſuſpiciendum, quo rorſus ad dextram relicto per arcus antiquos, qui in itinere viſuntur, Maſſiliam tandem peruentum eſt, vrbem vel nomine ſolo celeberrimam, ſed hodie prorſus nouam, & alio loco, quàm olim, vt putatur, quanquam non ita longè ab eo poſitam, nam priſtinæ antiquitatis ſuæ nulla dum reſtant veſtigia: Corſi & alij ex proximis ditionibus vt opibus abundant, illuc tanquam in tutum & libertate gaudentem locum ſub Franciſci nominis patrocinio confugiunt, eóque ad libertates tuendas ſimul incitatiores, quod eas, propter quas patriam & auitas ſedeis reliquerunt in bonis numerent, & iis ademptis bona ſua ſibi eripi arbitrentur. itaque acerrimi vindices & plerunque per ſeditiones eas tuentur. ad Iphiam arcem, quæ ante portum & quaſi ad eum ſeruandum in mari ſaxo prærupto impoſita eſt, prandium à præfecto humaniſſimè præbitum, poſtea in vrbem reditum, quæ alteram arcem in portum deſpicientem habet, & Mariæ fano dictam & pro ſpecula poſitam. haut hinc longè à S. Victoris opimo cœnobio, poſt bidui moram luſtrandæ vrbi inſumptam, ad Aquas Sextias itum, vbi à Io. Monealio Senatus præſide homine humaniſſimo, & quem Thuanus cùm rei ſalinariæ per eas prouincias ante decennium ſimul cum Carolo Lamonio præpoſitus eſſet, familiariter cognouerat, per omneis baſilicas & imprimis palatium, in quo Senatus habetur, ac reliqua vrbis templa, publicas ædeis, & armamentarium deductus eſt. Aquas etiam ſeu balnea, à quibus vrbi nomen, quibus prouinciales vtuntur, ſoliis egregiè inſtructa eodem die luſtrauit, & inde per Caualionem venit Arauſionem & venerandæ antiquitatis monumentis inſignem vrbem, exeuntem inuit ſpectare ingentia illa trophæa extra vrbem quæ Mariana vulgò indigetantur, contra temporis iniurias priſtinam adhuc ſeruantia maieſtatem. paullum progreſſis ad Prouinciæ limitem venientibus Delphinatus ſuccedit, cuius primum ab illa parte fluminis oram legentibus Montelium Adelmari occurrit, vltimis bellis famoſum oppidum, in quo cœnatum ſuperueniente ad cœnam M. Colaſio loci ſeneſcallo, is eſt præfectus iuridicus togatus, ne quis Seneſcalli in aliis locis digniore nomine decipiatur. cum eo interceſſerat Thuano non tam amicitia, quàm notitia, cùm v-

terque Valentiæ ſub Cuiacio iuris ſcientiæ operam daret, vbi ille vt Indigena Rectoris, ſic iuuentutis principem vocant, munere fungens, adoleſcentem quendam Aeduum ſub id, cùm Thuanus hinc diſceſſerat, per noctis tenebras ante decennium perfidioſè interfeciſſe dicebatur, ob idque poſtulatus & in carcerem coniectus vix tandem gratia & partium, quæ aberant, negligentia ſe periculo extricauerat. is igitur ad Thuanum ſalutandū togatus cùm veniſſet, cum eo cœnauit, & vagos ſermones de repub. habuit, multa de Meduanio mentione facta, cui cùm nuper in ea prouincia res gereret, ſuam operam addixerat. erat homo dicendi potens ac fiduciæ plenus & ad audendum promptus, & iam tum ſupra conditionem res meditari videbatur. alioqui & cœnæ & hominis facilè præterita fuiſſet mentio, niſi is eſſet, qui per bella, quæ paullo poſt ſecuta ſunt, ſe magnis rebus ſi non parem omnino præbuit, at potenter immiſcuit, & Meduanio, cuius fauore ſubleuatus fuerat, poſtremo formidabilis eſſe cepit, ſicuti in Hiſtoriarum libris plenius memoratur. poſtridie Colaſius cùm rurſus in hoſpitium veniſſet, Thuanum per opidum eadem comitate deduxit, & inde ad locum vſque haut hinc longè, quo Rhodanus pontone tranſitur, ibi poſt amplexus mutuos ſuperato flumine in montes aſperos in citeriore ripa aſſurgenteis enititur Thuanus, & primo die Albenacum venit Mōlaurij marchionum primatium opidum. inde per impedita maximè itinera triduo exacto longè deſcendentibus apparet Anicium ſeu Podium Velaunorum vulgo dictum, interiecta planicie, in qua Liger haut longè à fontibus ſuis inter viridāteis vtrinque ripas aliquoties per horam vadatur. ex aduerſo vrbis ſaxum in prato aſſurgit vndique præruptum conica ſpecie, quod gradibus in petra inciſis aditur, & in ſummo faſtigio ſacellum habet S. Michaelis Archangeli nomine inſignitum, æmulatione credo illius ampli cœnobij ac templi in periculo maris poſiti, quod trium leucarum ſpatio æſtu maris interpoſito Abrincas reſpicit, de quo ſupra plura diximus. vrbs ab imo in altum paullatim quoque aſſurgit, pro ratione loci populoſa & ad templum vſque ad altare maius per gradus itur, quod muro antiqui operis cum Epiſcopi ædibus coniungitur, in quo adorandi CHRISTI duę priores literæ Græcæ, ſicuti ad S. Orentij Auguſtæ Auſciorum diximus, adhuc integræ legūtur. à præſule, is erat Nectarius Senetarius, peramanter exceptus Thuanus, etiam bibliothecam antiquis bonæ notæ libris M.S. refertam luſtrauit. inde per oppoſitos montes in Aruernos tranſitum, & ad Langeacum prouinciæ planæ ac campeſtris, vulgo Limaniæ vocatæ initium deuentum, & inde Claromontium, quod caput gentis propterea olim Aruernum dicebatur, protinúſque ad Achillem Harlæum ſororium ſalutandum perrexit Thuanus, à quo pro arta adfinitate gratulatione ſumma acceptus eſt & à ceteris collegis, publicæ etiam admiſſioni ſemel interfuit biduum inſumptum ad luſtrandam vrbem, & Gergouiæ in proximo mōnte rudera, & fontes vrbi circumpoſitos, cuius vnius aqua ſtatim à capite fluendo lapideſcit, & niſi cura adhiberetur, vt antequam dureſceret, canalis per quem labitur, in dies excauaretur, iampridem fons ille obſtructus eſſet. triduo exacto petita ab Harlæo & Brularto abeundi copia per Monſferrandum, Thierium, locum ob ſitus & aquæ molatrinas agitantis commoditatem rei chartaceæ confectione nobilem, Boneti fanum Lugdunum venit, vbi tunc erat Ludouicus Caſtanæus Abennius ad prouincias luſtrandas à rege miſſus, quem commodum nactus triduum cum eo manſit. interea Tornæſij & Rouillij librariorum apothecas euoluit, & Iacobum Dalecampium vidit, qui tunc in ſuo Plinio occupabatur, & Herbario à Rouillio inſtituto dabat operam, in quo id obſeruandum, quod ab ipſo Dalecampio reſciuit, & vt omnes ſciant publicæ vtilitatis intereſt, opus illud à diuerſis XXX ferè annorum ſpatio congeſtum & concinnatum fuiſſe, & iam typis maiorem partem mandatum, cùm Dalecampius ei vltimam manum impoſuit, quo factum, vt quædam accuratiùs, quædam minùs diligenter ſcripta, quædam etiam repetita & interpolata repetiantur, ita tamen, vt poſtrema ſemper ſint meliora. id incidit in Kalendas Nouembreis feſto omnium S.S. dicatas, qua die Chriſtophorus Thuani parens ad Deum migrauit, qui rei ignarus totum iter Lutetiam vſque confecit, & per Villam francam in Bellijocenſi pago, Matiſconē, Trinorchium cœnobio nobile opidum, Cabilonem, hæ vrbes ad Ararim ſitæ, poſtremo Arari ad dextram & ortūm relicto Belnam venit, arce amniculo impoſita & mœnibus firmam & vino vbique nominatiſſimo nobilem, in cuius agro Ciſtertium eſt cœnobium toto orbe Chriſtiano celeberrimum, cui plus CIↃ LXX virorum ac totidem ferè ſacrarum virginum monaſteria ſubſunt, ab Othone duce anno Chriſti CIↃ XCVIII conditum. In eo Thuanus cōuenit, pro amicitia quæ illi cum patre intercedebat, Bucerardum præſulem virum & doctrina & prudentia longo rerum vſu inſignem, quam & vicarius, & poſtquam præſul eſt effectus, variis per Italiam, Siciliam, Germaniam, Poloniam, Hungariam, Belgium peregrinationibus contraxerat. is iam de Chriſtophori patris obitu cognouerat, ſed quod eius ignarum filium videret, rem diſſimulauit, ſatiſque habuit eum prandio accipere, & quia tempus pluuioſum erat, vt die tota remaneret, rogare. verum ille ſe excuſauit, & vrbem Diuionem venit, Burgundiæ ducatus hodie principalem, quamuis epiſcopali digni-

tate

tate minime ornata ſit, quę Suiſione pleronque inundationibus noxio, & Oſcara piſculento & multarum rerum vſum ſubminiſt. ante alluitur, egregio naturæ temperamento, vt q tantum ab vno incommodatur, tantum ab altero adiumentum accipiat. in ea B. Benigni ædes à Gregorio Lingonum præſule condita, & ſub ea ſpecus ſeu crypta, in qua vii Deo carus aut latuit aut vinctus fuit, quod populum ſacris gentilium operantem ad veram Dei notitiam ab errore ſuo reuocare pergeret. ſupremum prouinciæ tribunal in ea quoque ſedem habet. arx non ita firma, olim à Ludouico xii ędificata, altera munitior, quæ haut longe ab vrbe Talana dicebatur, quæ poſtea diruta fuit. eſt & inſigne extra vrbem Carthuſianorum cœnobium, in quo iii Burgundiæ ex domo regia principum ſepulturæ in medio choro viſuntur. ad Dionyſium Brulartum primarium Senatûs præſidem officioſe adiuit Thuanus, qui itidem iam de obitu Chriſtophori cognouerat. verum non ingratum hoſpitem id celatum voluit, quem à ſe non triſtem diſcedere cupiebat, in laudes tamen patris effuſior, quam filij pudor ferebat, iam tum ſuſpicionem facere potuit, quaſi non tam panegyricum viuo dicere, quam mortuum laudare videretur. inde poſt biduum diſceſſum, & ad Sequanæ fontes primùm, dein Caſtellionem ad Sequanam ventum, opidum vel natali Gulielmi Philãdri viri vndecunque doctiſſimi nobiliſſimum, Mucium epiſcopi, Giacum, Barrum, ac denique Auguſtam Tricaſſium, vrbem ampliſſimam, & veterum Campaniæ Palatinorum Comitum ſedem ac ſepulturam, adde locupletum mercatorum familiis nobilem. heic diem ſolum commoratus Thuanus in viam ſe dat, ignarus quid ſibi accidiſſet. nam cauebant famuli, vt nihil niſi Luteriæ proximus reſciſceret. itaque per Merium, Pontem, vbi Alba in Sequanam influit, Nogentum opida ad flumium eundem ſita facto itinere, hinc relicto ad læuam fluuio Prouinium venit, opidum decliui loco poſitum, alioqui populoſum & cœnobio S. Iacobi illuſtre, ita vt ſæpe inundationibus infeſtetur, amniculo, quo alluitur, imbribus intumeſcente. inde Nangium & Boſſiaeum, vbi poſt prandium à tribuno Heluetiorum, qui Lugduno cum eo venerat, de morte patris certior fit, præfato vt ſe ad patientiam componeret, neque Dei voluntati, qui ita de ipſo ſtatuiſſet, reluctaretur, ſed ſine murmure eius iudicia adoraret, & bono illius, bono ſuo quicquid eueniſſet, factum interpretaretur. ille nihilominus qui de valetudine patris ſummam fiduciam haberet, caſu inopinato perculſus, & in illa ætate, in qua de longiore eius ætate ſpes maiores conceperat, eo maiore cum doloris ſenſu præcìſas eas dolebat. itaque totus in triſteis de ſe ac de republica, cuius nunquam in priuatis iacturis curam abiecit, cogitationes prolapſus, in equum ſe ſubiicit, & quod reſtabat viæ quaſi extra ſe abreptus confecit. eo ipſo die corpus defuncti terræ mandatum fuerat, quanquam ante xv dies per iuſtitium obiiſſet, ſic iubente rege, qui rem differri voluerat, vt maiore pompa ei parentaretur, in quam quatuor millium aureorum ſumptus factus, quæ pecunia ex omni peculio ſola reliqua erat. ſic enim vir vt ab ambitione ſic ab auaritia non ſolum alienus, ſed infeſtus tanti vitij oſor, res domeſticas ordinauerat, quas alioqui fere negligebat, vt nihil deberet. ceterum pecuniam aliquam ſepoſitam pro certo futuræ neceſſitatis fideiuſſore haberet, aut regi cum iubebat commodandam, aut amicis & in alios vſus erogandam. itaque exoluta illa pecunia cum nihil reſidui in domo eſſet, nulla tamen commiſerationis aut querimoniæ vox viduæ audita, cum rex cum vxore & Catharina matre ad ſolandam eam in ædeis defuncti officioſe veniſſet. verum vt ſpem omnem & ſolatium in Deum ſolum reiicientis & humana omnia ſubſidia in tanta iactura deſpicientis hæc tantum verba à circunſtantibus excepta, abunde prouidentia diuina ſibi & ſuis proſpectum eſſe, ita vt nulla re egerent, modo gratia cœleſtis, quam ab aliis petere neceſſe haberent, non deeſſet, hac in luctu defixæ & de celeſti ope prorſus omni alia ſpe abiecta cogitantis voce audita confuſus rex, qui nullum in donando etiam indignis modum faciebat, cum parente pari ingenio femina diſceſſit, qui munificentiæ paratæ exemplum & gloriam hoc rerum humanarum contemptu ſibi præreptam in occulto indignabatur. Petrus Valla præſtantiſſimus medicus, quem Thuanus quondam in Burgondiana ſchola, vti ſupra dictum eſt, audiuerat, cum Ioanne Magno Iacobo Petræo, Leonardo Botallo, aliis, Chriſtophoro ægroto & cum cadauer ſecaretur, aſtiterat, nam vt ſeruaretur ita factum oportuit. Solebat autem narrare, nullum à natura melius conformatum corpus, magis omnibus partibus integrum, minus ſenio infirmatum, & quod magis mirabatur, cum caput aperiretur, nullum cerebrum denſius ac plenius, vel in adoleſcente adhuc neque dum ætate vt in ſenibus, minus depreſſum aut dehiſcens ſe vidiſſe. is vltra inſignem doctrinam magni animi & iudicij vir, ita vt de aliis ſincere exiſtimare poſſet, dicere ſolebat, nullum par hominum, cum de Chriſtophoro & Tullia loqueretur, ſe aut fando accepiſſe, aut ipſe cognouiſſe, cum iis comparandum, ſiue vera pietas ab omni fuco & oſtentatione aliena, ſiue veri ſtudium & incorrupti mores ex antiquo trahentes. procul ambitu & omni lucri cupiditate, odio, & adulatione ſpectentur, qui domi caſtiores, foris iuſtiores, magis generoſi, & in omni conuerſatione æquiores & humaniores eſſent. Thuanus vbi in vrbem venit, adhuc triſti ſed celebri pompa v-

bique perſonantem, protinus ad ædeis diuertit, in iiſque Nicolaum Carnutum epiſcopum, & Auguſtinum regium aduocatum patruos ſimul inuenit, & poſt comploratìonem ab iis ſine mora ad matrem deductus eſt, vbi repetita comploratio. tandem vtrinque diſceſſum. ab eo tempore totus in eo fuit, vt cuius extremum ſpiritum coram ore legere nō licuerat, eius memoriam per ſe illuſtrem deleri non pateretur, ſed victuris monumentis, quantum in ſe eſſet, poſteritati commendaret. itaque bina Mauſolea pius filius patri bene de ſe bene de repub. merito erexit, altero præſtantiſſimi ſculptoris manu Bartholomæi Prioris, quod in ſacello Thuanorum peculiari a S. Andreæ in arcubus cum admiratione artificis, & iucunda optimi ciuis recordatione viſitur: altero diuturniore & latius ſe ad ſpectaculum pandente excellentium ingeniorum huius ſeculi arte elaborato, id toto bienio factum. nam citius Prior ſuum opus abſoluere nequiuit, neque tot amici huc illuc ſparſi ad funus publicum celebrandum conuehi, aut ipſi conuenire potuerunt. cum cuncti ex Gallia noſtra, Belgio, Germania, Italia citati comparerent, vnus defuit Petrus Ronſardus iam ingenio effœto piger, qui cùm non ſatisfeciſſet, Orphei ſui noua & honorifica nuncupatione ſe excuſauit. ex ea occaſione renouata cum M. Ant. Mureto, P. Angelio Bargæo, Gilberto Genebrardo, Fabritio Boderiano qui Bibliorum Plantinianorum editioni cum aliis operam nauauit, Ioanne Aurato, Ioanne Paſſeratio, Germano Valente Nic. Sudorio, Hadriano Draco, Carolo Mænardo, Q. Sept. Florente Chriſtiano, & artiſſimo amicitiæ vinculo ſibi coniuncto Scæuola Sammarthano. Gul. Sal. Bartaſſio, Rob. Stephano, Io. Guionio Auguſtodunenſi, Henrico Stephano, aliis, amicitia, noua etiam cum Iano Gulielmo Lubecenſi iuuene admirandi ingenij contracta, adde veteres amicos Ioſephum Scaligerum, Nic. Audebertum, Gul. Varium, P. Pithœum, Ant. Oiſellum, Auguſtinum Preuotium, de quo dixi, Nic. Rapinum, Ludouicum Alealmum, Petrum Campanum Burdigalenſem, qui omnes certatim in id incubuerunt in Thuani gratiam, qui eodem pietatis officio in Ioannis fratris cariſſimi funere, quem ante triennium extulerat, defunctus fuerat, Aurati, Paſſeratij, Scaligeri, Sudorij, Draci, Caroli Mallaci, Flor. Chriſtiani, Rapini, ſua ipſius induſtria vſus. interea cum aliquandiu Senatu abſtinuiſſet, ad munus tandem rediit, foris negotia, domi aſſiduam lectionem pro ſolatiis accipiens. & quia pictura multum delectabatur, etiam domi Claudium Cathalaunenſem adhibuit, exprimendis excellentium pictorum tabulis egregium artificem, & non ſolum peritia, ſed morum ſuauitate ſibi gratum, quem dum legeret, pingentem libentiſſime ſpectabat. poſtremo vt à dolore & triſtitia magis animum auocaret, Hieraeoſophion ſuum recen-
CIƆ IƆ LXXXIII. ſuit, & hortante Philippo Huralto Ceuernio Procancellario ſororio ſuo librum tertium de medicinis accipitrum adiunxit, opera ad id Franciſci Vlmi Pictauienſis medici vſus, qui tunc forte negotiorum cauſſa Lutetiæ erat, & frequenter ad eum itabat. is eſt, qui librum de liene olim ſcripſit cum libro Hippocratis de vulneribus capitis à Fr. Vertuniano latine verſo & caſtigato editum, in quo nouam de vſu illius partis & à vulgari multum diſſidentem opinionem tuetur. verebatur enim Thuanus ne in medicamentorum ac plantarum ſalutarium nominibus, quæ ex barbaris ac plerunque ignaris harum rerum ſcriptoribus hauſerat, alia pro aliis ſumens forte impingeret, quod adhibito periti hominis conſilio ſe vitaturum ſperabat, totum poſtea opus vulgauit, præmiſſo ad Huraltum Ceuernium carmine, in quo de vitæ ratione in poſterum inſtituendæ cum illo diſſerit. id repetendæ de coniugio conſultationis occaſionem præbuit, nam & ille ſacris olim deſtinatus, poſtea Iacobo Vibræo grandiore fratre, quod nullos liberos ex vxore iam annoſa haberet, auctore, Annam Thuani ſororem ante XV annos in vxorem duxerat, & pulchram ſobolem ex ea ſuſceperat. itaque quod conſilium ſibi ſumpſerat, & rebus ſuis vtile expertus fuerat, Thuano iam tum vt ſalutare & honeſtum dedit, & ad contrahendas nuptias mutata vitę ratione animos fecit. quod tamen defixa in recenti luctu matre, & Thuani ad ea, quæ ſe reſpiciebant, pigreſcente animo, in aliud tempus dilatum fuit. fuerat arcta Renato Birago Cancellario ac tunc Cardinali cum Chriſtophoro, dum viueret, neceſſitudo, vt & non ſolum morte eius grauiter indoluerit, ſed etiam eius viduam ac liberos ſibi omni ope ſubleuandos duxerit. erat enim vir generoſus & ſincero ac liberali ingenio præditus, & qui eaſdem virtutes in Chriſtophoro ſuas fuiſſe cùm perſpexiſſet, eius quoque nomen ac dignitatem ſibi colendam exiſtimabat. itaque crebro ad matrem Thuani ſalutandam & operam ſuam deferendam mittebat, & ipſum per Leonardum Botallum ſingulis ferè menſibus inuitabat, & menſę adhibebat, & in illa canitie ac dignitate familiares cum eo quamuis iuuene ſermones habebat, ſubinde renouata patris memoria & domeſticorum eius adfectuum. nam vterque catellos Meliteos, & quos nunc Lugdunenſeis dicimus, impenſe dilexerat, tum memorabat, Galeacium patrem, cum Ludouicus & Franciſcus Mediolanum adhuc tenerent, & ipſe primas in Senatu illo teneret, ſe puerum ducere ſolitum ad publicas admiſſiones, vbi Io. Bapt. Panigarola Franciſci nominatiſſimi concionatoris & Aſtenſis epiſcopi parens facundiæ laude, quam filio in diuerſo profeſſionis genere quaſi hereditariam tranſcripſit, inter omneis excellebat, & vt eum audiret,

& ſi

& ſi poſſet æmularetur, aſſiduè hortari. ſe vero qui modice tunc in iuris ſcientia profecerat, ſed naturali ad res belli propenſione & Gallici nominis ſtudio, quod ſola vi armorum per Inſubres & tota Subalpina prouincia tunc nitebatur, ſic vitam inſtituiſſe, vt bellorum & pacis artes ſimul animo complecteretur, & ad res vtroque tempore recte adminiſtrandas ſe compararet. itaque poſtquam in Senatum Pariſienſem primum allectus eſt, è veſtigio in Italiam tranſiiſſe, & res maximas conſilio & auctoritate, qua valebat apud Proreges noſtros feciſſe, toto XXX annorum ſpatio, longe honorificentiſſimas legationes obiiſſe, & cum pacificatione cum Philippo & Sabaudo tranſactum eſt, Lugduneſi præfectura ornatum, & inde ad ſupremam togæ dignitatem euectum fuiſſe. hoc de viro tanto elogium ex ipſius ore ſine fuco & iactantia profectum non indignum iudicaui quod hic apponeretur. addam cum dolore, quod in iis perſcriptum erat, vnicam illum filiam reliquiſſe caſtiſſimis moribus & vere liberali ac paterno animo præditam feminam, & in qua nihil requiras, niſi in illa liberalitate modum. ea primum Imberto Platerio Bordillonio E. T. qui res magnas bello geſſit à patre elocata eſt, cumque ſine liberis deceſſiſſet, aliquot poſt annis Ioanni Lauallo Mallíæ comiti & poſtea Nigellæ marchioni & Iuniaci comiti patre itidem annitente nupſit, quo rurſus mortuo, nullaq. prole ex illo coniugio ſuperſtite, Iacobo tertio marito contra patris votum, ceterum perilluſtri apud nos Amboſianorum Albigei Comitum familia progenito fidem obligauit, ſecutis poſt patris obitum ſtatim nuptiis. heic vero, quæ tam liberaliter hactenus vixerat, haut mirum, ſi iuueni marito item liberali ſed egenti, & cui pater nihil largiebatur, ad immodicos, qui tunc in aula noſtra luxu diffluente fiebant, ſuſtinendos ſumptus, nihil negabat. itaque breui tempore accidit. vt pecunia omnis & ſupellex plane regia à patre, qui ſemper ſplendide, ſed modo ſeruato vixerat, relicta, penitus abſumpta ſit, & præcipue vltima in Santònes expeditione, in qua cum Ioiúſa ipſo exercitus imperatore cæſus eſt. itaque marito amiſſo & omni re ex ira paullo póſt ex mœrore in morbum diuturnum incidit, ex eoque tandem, poſtquam ſe diu in moleſta lite cum Florimondo Birago patrueli à patre filiæ caſum præſagiente, ſibi ſubſtituto, & qui ſub id tempus Lutetiç itidem obiit, exercuiſſet, in ſumma egeſtate deceſſit, vt vix haberet vnde ſepeliretur, matronis aulicis, quarum gratiam olim omni beneficentia demeruerat, ſtipem in ſingulos dies in alimoniam, dum vixit. poſtquam obiit, vnde efferretur, conferentibus, egregio noſtris viduis aliiſque illuſtribus matronis exemplo, vt & in ſumptibus faciendis modum ſeruent, & in viris aſciſcendis parentum conſilia, & eorum qui loco parentum ſunt, iudicia ſequantur. eodem, de quo heic agimus, anno deſinente Biragus Cardinalis in viuis eſſe deſiit, cui magna pompa parentatum fuit, ampliſſimo ordine vniuerſo ac ceteris ordinibus, qui honos ſolis regibus & Regum fratribus ac filiis, & Magiſtro equitũ defertur, funus proſequente. corpus ad S. Catharinæ, vnde exierat, reductum, & in ſacello, monumento inſigni ab ipſo ſibi & Valentiæ Balbianæ vxori ſtructo, conditum eſt. is paullo antè, neque id omittendum viſum eſt, etiam poſtquam in Cardinalium collegium cooptatus fuerat, ritum obſoletum in vſum reuocauerat, qui poſtea rurſum exoleuit, choreæ religioſæ, quæ totam B. Paulli, quæ ſecundum Euſtochianam ampliſſima eſt, parœciam obibat, in qua accenſis ad mediam noctem facibus clero cruce prælata præeunte ſenes, viri, iuuenes, feminæ omnis ætatis, pueri, innuptæ puellæ ad ſymphoniacorum cantiones ſacras potius incedebant, quam ſaltu indecoro mouebantur. plus ſex mille omnis generis & ætatis cantabant, & quaſi in ſupplicatione procedebant inter arcus per vias diſpoſitos, & inſignibus Biragi ornatos, menſis appoſitis cum vino & dulciariis, quæ ab hominibus ad id ex familia eius ordinatis ſine tumultu & laſciuia perquam honorifice tranſeuntibus propinabatur. idem olim in S. Benedicti parœcia Petrus Valla, quem dixi, ſe puero factitatum narrabat, & choream ab extremo S. Iacobi ſuburbio ad parui Caſtelli fornicem vſque, & inde per Mauberti plateam & Carmelitarum cœnobium ſe porrexiſſe, quæ publicæ lætitiæ potius, quam deuotæ religionis ſpectacula, quæ à ſimplicitate initium ceperant, quia paullatim malitia graſſante in licentiam degenerabant. tempore ſuſpecto celebrata offenſionis cauſſam præbere poterant, ſenſim quoque in deſuetudinem abierunt. quæ tamen tunc auctore tanto renouata nemo in malam partem interpretatus eſt. adeo hæc & huiuſmodi multa pro ratione temporum, locorum, & perſonarum bene vel ſecus vſurpantur aut feruntur,

VIRI ILLVSTRIS

IAC. AVG. THVANI

REGII IN SANCTIORE CONSILIARIO CONSILIARII, ET IN SVPREMO REGNI SENAtu Præſidis ampliſſimi,

COMMENTARIORVM DE VITA SVA LIBER III.

CIϽ IϽ LXXXIV. IAM quartos & octogeſimus annus inire cœperat, ſupra milleſimū quingenteſimum Thuano & Cheuernio Cancellario funeſtus, violento morbo poſt partum abſumpta Anna Thuana vxore Rochettæ primo ab vrbe lapide, cui mater Iacoba Tullia ſemper aſtitit, & ſupremo pietatis officio ſumma conſtantia defuncta eſt. vir quamuis in ſummo magiſtratu aliquot dies publico abſtinuit, & intra priuatos parietes confluente ad eum è proximo tota aula, ſolatium in ſolitudine ex ſuorum alloquiis, & Thuani imprimis, quã eidem dolori participabat, capiés. corpus magna pompa per vrbem in curru traductum, & in Cheuerniam arcem in Blœſenſi agro aſportatum, cōditúmque in ſacello maiorum, poſt quadrageſimale tempus, atque adeo poſtquam rex Lutetia Blœſas petiit, magna præſulum, cognatorum & amicorum ad id honorifice vocatorum corona funus Cheuernij peractum VII Kal Ixbr. mortuam laudauit Reginaldus Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis proxima cum Cheuernio cognatione coniunctus, oratione luculenta quæ eodem anno edita eſt, cum Io. Aurati & Paulli Meliſſi verſibus, & carmine Thuani, quo ſe & ſororium ſuum in tanto luctu ſolatur. quoniam heic primum R. Belnenſis facta eſt mentio, vlterius progredi non poſſum, quin quę fando de tam celebri ætate ſua & in aula noſtra viro à Thuano accepi, poſteris tradam. is Iacobi Belnenſis iniurioſe olim Franciſco I rege, vt imperioſæ matri mos gereretur, damnati & morte adfecti nepos, egregie à puero literis Grecis & Latinis inſtitutus fuit ſub Iacobo Tuſano & Iac. Stracelio, tantumque memoria & iudicio valuit, vt quæ in illa ætate ex poetis Græcis & Latinis aliiſque bonæ notæ ſcriptoribus didicerat, quamuis maximis negotiis, quibus tota vita occupatiſſimus fuit, à cogitatione harum rerum auocaretur, ea cum occaſio ſe offerebat, aut publice aut inter amicos fideliter recitaret, & ſermonibus inſtitutis ſcitiſſime accommodaret. audiuerunt illum permolti paginam verſuum Homericorum integram recitare quos à quadraginta annis non legerat. erat inſuper in eo ſpecies oris decora, dulcis linguę facundia, comitas & ſuauitas morum, tantaq. manſuetudo vt nunquam iraſceretur, nunquã verbo quenquam læderet. quod in eo magis mirandum fuit, quod temperamento ad iram & violentos impetus natus videretur, quippe tam calido, vt cōtinuo cibo refici neceſſe haberet, eoque copioſo, non ad gulam, ſed ad valetudinis conſeruationem, cuius ſemper ille iam à prima adoleſcentia ſumme diligens fuit. nec vero multo ſomno aut aſſidua corporis exercitatione opus habuit ad cibum concoquendum, calore naturali, modo aleretur, ad id abunde ſuppetente. nam vix quatuor horis ſomnum capiebat, quibus exactis ventriculi auiditate excitabatur. itaque poſt alteram horam matutinam aut temporius ſtatim excitato menſa apponebatur, in qua ſolus cibum capiebat, inde quieti potius quã ſomno ſe dabat, & negotia domeſtica plerũq. inſpiciebat vſq. ad horã quartã. tũ ſurgebat & altera menſa inſtruebatur, in qua nō deerãt cōuiuę iã cũctis excitatis, ſub horam dein octauã tertio cibũ ſumebat, & inde ad negotia publica ſe accingebat, vſq. ad prãdium ad quod

quod multos ſemper conuiuas adhibebat. merēdā dein quatuor poſt horis celebrabat, & cœnā nō minus prandio opiparā ſub veſperā inſtruebat. & antequā ad lectū iret pocęnulū deniq. ſumebat. cibum autem ita per otium ſumebat, vt ſumendo horam integrā impenderet hieme, æſtate, in qua tardior erat, horæ etiam quadrantem adderet, & ambulantibus, quales in aula noſtra, cœnis ſummopere offendebatur; adeo vt eum ſæpius à principe primario ad prandium inuitaretur, & toties ſe excuſaret, rogatus quā id faceret, facete reſponderit, illum non humano ſed canino more prandium vſurpare, feſtinatas nimis epulas intelligens. quo intellecto ille cùm ſe non ſolum laute quod ſemper faciebat, ſed prolixe accepturum promiſit, & eo inuitato ſemper ſtructorem monebat, vt miſſibus adponendis legitimum tempus interponeret. inter hæc nunquam commotior aut ſomnolentior viſus, nulla grauedine aut dolore capitis tentabatur, ſemper æque ſui compos & ad omnia paratus, extra negotia quietem & confabulationes ſectabatur, eadem illa decora facie ad extremam ſenectutem ſeruata, nec conuulſionibus aut ſanguinis ſuffuſionibus, ſicuti in intemperantibus vſuuenire ſolet, per ætatem deformata. in tanta ciborum, quibus alebatur, copia cum nec membrorum agitatione nec deambulationibus, ne exuperantem appetitum proritaret, corpus exerceret, naturam ſucco nimio turgentem medicamentis purgantibus crebro adiuuabat, quæ medicæ rei non ignarus domi per homines peritos ſibi parabat. itaque raro ægrotabat, & quamuis in ſumma corporis pigritia mens ſemper laboraret, nunquam fatigabatur. adoleſcens admodum Senator Pariſienſis primum allectus, & barba prolixa feſtinatus vir ante annos claſſis Inquiſitoriæ præſes magna ſollertiæ ſemper fama, dein libellorum ſupplicum magiſter & mox Mimatenſis Epiſcopus creatus commendatione ſororis Margaritæ gratioſæ in aula fœminę, quæ ſub id Claudio Guferio Boſſij marchioni & Rodamnæ ob id creato duci magno Franciæ ſcutifero nupſit, maximis iam tum negotiis adhibitus, etiam Franciſci Alençonij Ducis Cancellarius fuit, quo tempore cum Regis fratrum ordinarentur à Katharina familiæ, Chriſtophorus Thuani parens Henrici Aureliani ducis Cancellarius creatus fuerat. quod munus aulicum in Senatu aſſiduus cum commodè exercere non poſſet, Philippo Huralto Cheuernio genero tranſcripſit, idque illi poſtea ad ſummos honores portam aperuit. cæterum Belnenſibus, vt hoc obiter dicam, cum Thuanis magna neceſſitudinis vincula interceſſerunt, iam ab auitæ calamitatis temporibus, quibus ab omnibus, vt fit, in aula, & in vrbe deſerti apud Thuanos perfugium habuerunt, & in Auguſtini aui Thuani domo Reginaldus aliquandiu manſit, & iam tum de Margaritæ ſupra commemoratæ cum Chriſtophoro Auguſtini filio nuptiis actum fuerat, quibus non ſecutis tamen veteris & tam honeſtæ flammæ veſtigia remanſerunt, præcipuoque fauore eum poſtea cum in flagranti Katharinæ gratia floreret, ſecundum fratres ſemper fuit proſecuta. ante mortem diu condito teſtamento, illud apud ſingularem amicum, ſic eum vocabat, depoſuit, eiuſque executorem ipſum nominauit, & precum horariarum inſigni, quem à Claudia Ludouici XII. filia, Franciſci I. vxore, & Henrici II. matre acceperat, libro plurimis miniaturis, quibus plantæ arte cum natura certante exprimuntur, ornato donauit, quem Thuanus adhuc inter precioſam ſeruat ſupellectilem. ad Reginaldum redeo, cum quo poſtea Thuanus coniunctiſſime vixit, cum ille in clauſtralibus ædibus itidem habitaret, & fere apud eum Thuanus cottidie cœnabat, renouata Auguſtini aui & recenti patris memoria, quam vir minime omnium ingratus ſemper ſacroſanctam ſeruauit. ea familiaritate totum triennium vſus eſt Thuanus, quo vſque ab ædibus clauſtralibus ad paternas matre inſtigante migrauit, quæ tamen nec illa corporum ſeparatione diuulſa eſt, & crebris, quæ per temporum iniquitatem natæ ſunt occaſionibus, & quæ deinceps referentur, ad extremum conſtanter perſeuerauit. interea vrgebat mater vt ſe Thuanus reſpiceret, & quando in ſacris muniis obeundis iampridem ceſſaret, & præcipuam beneficiorum partem eieraſſet, vitæ ſe quam primum ſolutæ manciparet, quod tamen fieri non poterat, quandiu inter Eccleſiaſticos Senatores maneret. itaque ab Inquiſitoriis claſſibus migrandum fuit, non ambitione aut aulici ſplendoris, à quo ſemper natura abhorruit, deſiderio, ſed neceſſitate, & libellorum ſupplicum magiſtri quærendum officium, quod tam ſolutis quam Eccleſiaſticis perſonis apud nos attribui ſolet, in quo rurſus non mediocris pro tempore difficultas occurrebat. nam Rex inæquali ingenio poſt nimias profuſiones & nouas ac inauditas officialium creationes in arctum ſe coëgerat, & turpeis officiorum nundinationes ſeuere admodum prohibuerat, quæ ſi vel morte vel iudicum ſententia vacabant, aut omnino extinguebantur, aut delegatis mandabantur, aut magno delectu dignis attribuebantur, laudabili ſane inſtituto, ſi per turbonum ingenia pace frui diuturnius licuiſſet. Sola permutationis via reſtabat, cuius beneficio, nec ſine Reginæ parentis, quæ Chriſtophorum impenſe dilexerat, commendatione, nam hoc etiam tunc gratiæ loco reputabatur, Thuanus IIII. Eidib. April. libel-

in illa aula manſit, magno in pretio habitus, & per hæc bella Perufiæ aliquanto tempore protelſ... poſt ad nos inde rediit. varius & multiplici rerum euentu triſtis lætuſque ... annus fuit, imo prudentiorum iudicio hic a ... omnino CIↃ IↃ LXVIII
f... nam & Iouſa cum nobilitatis flore in Santonibus cæſus eſt, & auxiliari Proteſtantium ... Lincęus prohibitus, & ſemel Vimorij atque iterum Alneti in G... graui clade ... affectus inter proſpera cenſeri debeat, dubium facit infelix regni ... regno rerum anno proximo ſucceſſus. amiſit & Thuanus initio huius anni, quod inter publicas & domeſticas clades merito numerat, Iacobum Dennetum loco nobili in Morinis oriundum, L... natum, cuius mores generis nobilitatem vere exprimebant. nam quanquam in foro cauſſas tota fere vita actitauerit magna integritatis & ſolertiæ fama, nunquam nobilia armorum & venationum exercitia intermiſit, & ad id canes liberaliſſime ſemper aluit, amicorum commodis potius quam ſibi natus... Thuani quandiu vixit ſanctiſſime coluit, & patruos eius, in iiſque præcipue Hadrianum, de quo in ſuperioribus dictum, Ioannem etiam fratrem, quibus mortuis ſingularem illum amorem, quo illos atque adeo totam Thuanorum familiam proſecutus fuerat, in Thuanum veluti tranſcripſerat, cum eoque XIIII annorum ſpatio coniunctiſſime vixit, vt quo ſemper illo dum potuit affectu cultum non ingratis Thuani ... co-datur, eodem ſe ad colendam defuncti memoriam obligatum merito ſentiat, & profiteatur. ægrotantem cum officioſe inuiſiſſet in clauſtralibus ædibus, in quibus habitabat, vltimos beneuoli animi ſpiritus legit, cum vltimo elogio, quo ſuis mandabat, & imprimis Ægidio fratri, qui in Neuſtria domicilium tranſtulerat, vt contractam à tot annis cũ Thuanis amicitiam hereditario iure in poſterum colerent. vixit annos LVIII. ex pleuritide deceſſit, & ad S. Andreæ vbi Thuanorum monumenta viſuntur, tumulari voluit. vt triſtia & mala miſceamus, tunc augusto augurio Thuanus duxit in vxorem Mariam Barbanſonam Franciſci Barbanſoni Cani, prœlio Sandionyſin extincti, de quo in Annalibus, F. Michaelis, qui ſub Ant. Borbonio Vindocino Picardiæ præſide prouinciam, in qua amplıſſima bona poſſidebat, vicarij titulo rexit, N... ea gens Hannonia oriunda, vbi & Barbanſoni principatus in horto, quem vocant, præcipua mentio eſt, quam dignitatem hodie obtinent Arembergij comitum ſecundo geniti, & quo nomine inſignes fuerunt, qui bellis Belgicis ſub Henrico II & Carolo V ſummis exercitibus in eo limite præfecti fuerunt. Franciſcus moriens ex Antonia Vaſeria antiquæ vt & proſapiæ, ſic & moris femina & poſſeſſionum maximarum herede Ludouicum filium, Annam & Mariam filias reliquit. & Anna iam Antonio Pratenſi Nantollieto Cardinalis Pratenſis ſub Franciſco I Franciæ Cancellarij & multis rebus nominatiſſimi nepoti nupſerat, cui cum Thuano arcta amicitia pridem patre ſuperſtite contracta, eoque libentius in eas nuptias, quantum in ſe erat, conſenſit, quarum pararius fuit Carolus Turchantius libellorum ſupplicum magiſter arcta neceſſitudine Thuano coniunctus, necnon & Petrus Valla, de quo in ſuperioribus dictum, qui Vaſeriæ plerunque operam nauabat, aſſiduis de matre filiaque ſermonibus Tulliæ, cuius veluti commenſalis erat, eas nuptias optatiſſimas reddiderat. Cheuenius ſororius, quo res honorificentius fieret, vltro ad matrem, quæ in Piquinianis ædibus in Sangermani ſuburbio habitabat, Thuanum magno comitatu deduxit, & Mariam vxorem Thuano ab ea impetrauit, quæ cum ſub id morbo lethali correpta eſſet, morte tamen eius nulla re contrahentium voluntas mutauit. itaque perſcriptæ condiciones Maio menſe, ſed propter luctum & quadrageſimales ceremonias res in VIItilem proximum dilata, quo demum poſt ſollemneis in Eccleſia vſurpari ſolitas denunciationes nuptiæ contractæ ſunt. ſponſalia fecit Nicolaus Thuanus patruus Carnutum epiſcopus, coram Tullia matre, Cheuernio Cancellario. Achille Harlæo primario præſide, Auguſtino Thuano præſide, Chriſtophoro Auguſto filio Thuani patruele, Renata Balieta, Ludouico Barbanſono Canio, Carolo Barbanſono Ludouici patruo, Ant. Pratenſi Nantolieto Pariſienſi præpoſito, Anna vxore, Eſtrumeliis fratribus Barbanſonorum auunculis, aliiſq. in pactis dotalibus memoratis, & poſt mediam noctem ad vitandum tumultum celebratæ nuptiæ ab eodem Nicolao, qui & ipſe ſacrum peregit in S. Andreæ in arcubus templo, & quia Proteſtantium olim doctrinæ addicti vterque parens ſuſpicionem faciebant, quaſi liberi, quanquam ad ſacra maiorum iam ante rediiſſent, in religionis cauſſa nutarent, Maria in arcano ab Arnulfo Menilio archidiacono Brienſi & Epiſcopo Pariſienſis vicario audita & confeſſione facta prius expiata eſt. eant nunc & videant homines adeo infenſi, qui non contenti calumnioſe Thuani opus hiſtoricum inceſſere, ne quid ad liuorem malignum deeſſet, etiam in vitam eius domeſticam anquirere voluerunt, videant, inquam, an quidquam, quantum ad religionem & magni illius ſacramenti reuerentiam, ad ſacros ritus, aut denique ad publicam honeſtatem & parentum eorumque qui loco parentum ſunt, conſenſum, qui non exiguam honeſtatis publicæ in ea partem faciunt, in eo matrimonio deſiderare poſſint. haut multo poſt de clade in Santonibus accepta allatum, qua re, vt par eſt, homo omnium minime ingratus, & qui publica damna ad ſe vel priua-

tum pertinere ſemper exiſtimauit, grauiſſime adflictatus eſt, quippe recenti gratia obſtri-
ctus,& apud ſe eum ſummo mœrore reputans, iuuenem illuſtrem decore & feruore ęta-
tis, adde & factionum vbique pullulantium æſtu abreptum occubuiſſe, & ſecum florem
iuuentutis, hoc eſt, robur Gallicum eadem ruina inuoluiſſe. has primitias nimirum fu-
neſti belli eſſe,turbulentis ingeniis & externa conſilia ſectantibus alieno maxime tempo-
re excitari, cum regnum ad ſarciendas atque adeo profligandas præteritorum malorum
reliquias,ipſam denique religionem in tuto collocandam,quiete opus habebat,qua tur-
bata libertatem odiis datam,laxatum frenum ambitioni,leges oppreſſas, nomen Gallicũ
pęne extinctum,& religionis,pro qua ſcilicet arma ſumebantur,nullibi in agro, rara in
vrbibus veſtigia vidimus, ipſis ſacrorum antiſtibus vbique in allocutionibus & ex am-
bone apud plebem bacchantibus & caritate eieiata contentiones, ſimultates, vltionum
incendia per familias,per domos, per opida ſpargentibus. hæc facies rerum toto regno
fuit poſt illam cladem,quam aliæ atque aliæ tanquam catenæ nexu ſecutæ ſunt.quorum
iam tum præſagus Thuanus caſu Ioiöſæ non potuit non magnopere commoueri. Itaque
ad Philippum Portam,qui præ mœrore hominum occurſus fugiens ad Sanuictorianum
ſuburbium in Io. Antonij Baiſij ædes ſeceſſerat, officioſe ſe contulit, vt bene meritum de
ſe amicum ſi poſſet ſolaretur,& in communi luctu mutuum ab ipſo ea alloquiis ſola-
tium acciperet. poſtea, vt ſibi amplius ſatisfaceret,& Franciſco Cardinali à Ioiöſa,qui ſo-
lus ex tanta familia ſuperabat,nam Henricus Boeagij comes iam ſe in monaſterium cõ-
iecerat, ignaro gratiæ ab Anna fratre in Thuanum collatæ id ſignificauit, vt haberet in
familia,in quo accepti beneficij,auctore eius adempto, memoriam recoleret, nihil mi-
nus & ipſe tunc cogitans, nam qui poterat? quam fore aliquando, vt arctiore cum illo
neceſſitudinis vinculo coniungeretur, quod diu poſtea accidit, ac demum ſexto decimo
poſt anno, cum priore coniuge elata, ex qua nullos liberos ſuſceperat, Gaſparam Ca-
ſtream Gabrielidis Batarneæ Franciſci materteræ filiam in vxorem rurſus bonis auibus
duxit,& pęne intermortuam gentis Thuanæ ſpem fœcunda prole renouauit. Tullia pa-
rens magnum ex eo caſu dolorem ſenſit,& peiora metuens pro filio rerum ſuarum ſecu-
ro conſilium cepit,& cum plura vellet & poſſet à filio vix tandem impetrauit, vt partem,
quam in bonis ſuis habiturus eſſet, ſeorſim à reliquis heredibus donatione & vltimo vo-
luntatis elogio acciperet. accedebat, quod domum paternam, quam pro portionibus,
quæ in prædiis ruſticis illi competebant, filij & generi ipſi attribuerant, Thuano relin-
quere cupiebat, vt qui in faſceis paternos quaſi ſucceſſurus eſſet,etiam monumenta ma-
iorum in proximo templo ac iura ſacrorum, in quæ vectigalia non modica erogauerat,
religioſe tueretur,& onera iniuncta ſine mora exſolueret.quod de Thuani fide, certo ſibi
perſuaſerat.nihil clam actum,ſed conſciis heredibus ceteris,quibus & vltro cauit Thua-
nus,vt qua moderatione beneuolentia materna vſus eſſet, ipſis oſtenderet, ſi facta ali-
quando diuiſione contingeret, vt quæpiam heredum portio à ſua vinceretur, oneribus,
quæ in ipſum mater reiecerat,deductis,quod excurreret, id coheredum arbitrio ſupple-
ret.quæ conditio à Thuano,cum mater nollet,adiecta fruſtra fuit. nam nemo heredum
poſt diuiſionem queſtus eſt de donatione & legatis ipſi à matre factis, tantaque æquitate
omnia inter eos tranſacta compererunt, vt faterentur vltro Thuanum,quod ſibi factum
nollet,alteri facere noluiſſe. paullo poſt non tam annis fracta, quam mœrore poſt virum
amiſſum confecta Tullia cum maritato filio,quod vnice exoptabat, nullam cauſam iuſtã
videret,cur diutius in vita manere deberet,in lethalem morbum incidit,cum quo bime-
ſtre totum in lecto luctata eſt, ad extremum ſacramentis Chriſtiano more ſumptis ad
mortem ſe tam præſenti animo & certa ſalutis fiducia comparauit, vt paucis antequam
moreretur horis,cum amicos ad ſe venienteis dimitteret, eadem qua vixerat mentis tran-
quillitate & comitate ſe ipſis commendaret,& vt ſe abſentibus commendarent, rogaret.
itaque cum Pithœus ab ea diſcederet,ita ſe ab ipſa dimiſſum dicebat, quaſi vrbis pertæſa
in Villetam ſuburbanum ſuum ad paucos dies diuerteret. ſeptuagenaria deceſſit incun-
te Ianuario proximo,cum quinquennium totum viro ſuperſtes fuiſſet. mortuam lauda-
uit in Senatu & ſollemni pompa ei parentatum fuit,præſidibus feretrum dedu-
CIↃ IↃ LXXXVIII. centibus, & proceribus aulæ ac reliquis vrbis ordinibus longo ordine funus proſequen-
tibus,hic annus ad amicitiam Gaſparis Schombergij comitis Nantolij & equitatus Ger-
manici ſummi tribuni Thuano viam patefecit, quam ſancte poſtea & omni officiorum
erga ipſum & ſuos genere coluit,quæ ex adfinitatis occaſione nata, conſuetudine exinde
& voluntatum ac conſiliorum conſenſione ita coaluit, vt quamdiu vixit Schombergius,
à latere eius Thuanus vix diſceſſerit, adulta factione in vrbem iam tumebant omnia, &
rex male conſultus inſita in rebus agendis cunctatione dum molli brachio efferentem
ſe coniurationem coërcere tentat,perditis hominibus ad maiora audenda animos fecit,
qui Guiſium Auguſtæ Sueſſionum tunc hærentem & fortunæ ſuæ auguria è propinquo
captantem contra regia iuſſa in vrbem venire poſtremo compulerunt.quod non perinde
rex vt decuit & potuit, vltus eſt, qui primus error altero peiore mox cumulatus eſt, cum
intro-

introducti in vrbem Heluetiis & prætorianis, attonito Guiſio & turbatis ſeditioſæ factionis ducibus, mora ea curſus ſpatium conceſſit ad colligendos animos, famoſa illa, quæ à ſepimentis doliaribus dicta eſt, die, qua Thuanus malorum, quæ iam oculis cernebat, inſita de publica quiete ſollicitudine iam pridem præſagus, præſentius eorum ſpectaculum pro ſolatio accepit, & accenſa ſeditione ſine armis cũ vno & altero comitib. in vrbe notus, vltro ad Luparam pedes tendit, vbi cum fluctuare conſilia, in horas remitteres, nihil generoſe decerni videret, triſti vbique ſilentio ac ſolitudine, inde ad Guiſanas ędeis hinc longe diſſitas tranſuolare, & Guiſium ipſum ante ædeis ſuas in vico, in quẽ Momorantianarum ędiũ poſticũ deſpicit, ſpatiantẽ offendit cum Petro Spinaco Lugdunenſi archiepiſcopo. vtriq. diſpoſitis ſiue mirabũdis e plebe hominib. ſiue ſatellitib. quibus & ſe immiſcuit, diuq. Guiſiũ attente contemplatus eſt, dum nunc nuperia per fidos diſtribueret, nunc à conſciis de rebus, quæ in vrbe agebantur, certior per momenta fieret, quãuis ſollicito in ſpeciem vultu, ſeruata tamen eadem oris ſerenitate & cõſtãtia, vt vel ex eo iam certũ de rerum ſucceſſu iudicium fieri poſſet, victricẽ nimirũ eius fortunã eo die futurã. inde digreſſus iam calente ſeditione cũ dolia paſſim erecta & vias obſtructas repeririſſet, quod intermiſſ eſſet, & in vrbe notus, ſalua obſtantia ſuperare a ſtationariis permiſſus eſt, donec ad S. Michaelis pontẽ venit, cuius caput iã ſeditioſi occupauerant, & doliis poſitis muniuerãt, regiis copiis in forũ nouũ retractis. ibi cum Alfonſo Ornano illac à rege miſſo, quẽ à tempore quo Valetiæ Segulanorum Cuiacio operã nauabat, quo ille Corſorum legionem in præſidio tenebat, cognitum habebat, ſermonẽ aliquandiu habuit; & cum ad proximum tabernæ ſuperioris concluſe. in quod Nic. Auxius Turtianus vxoris cognatus in pede paulo ante ſcloppeto ictus tranſlatus fuerat, ire pergeret, ab eo prohibitus eſt, & domum propere ſe conferre iuſſus, nã res iã calebant. itaq. propius ad doliaria ſepimenta accedit, in quibus præter ſeditioſos armatos, qui dolia ab imo ponte ad caput iã promouerant, etiã præcipuæ dignitatis viros cũ illis ſtare miratus eſt, qui ſe illuc veniſſe poſtea dixerunt, vt ſeditioni modum facerent, & maiorem tumultũ impedirẽt, re vera quod ſibi metuerent. quod cũ faciebant, non metuebant, ne animos tumultuantib. facerent, & auctoritatẽ factioni conciliarent. cum ſaltu dolia ſuperaret, aliquandiu à Ioanne Ruta ſartore ſeditioſorum illa vrbis regione anteſignano retardatus eſt, & alta voce clamãti, quo faciliorem tranſitum ſibi pararent, regem mandaſſe, vt copię militares diſcederent, ſuperbe reſpondit, id iã illas non regis iuſſu, ſed metu feciſſe. itaq. præfractæ impudentię & verbis & factis hominem miſſum faciens, qua via data, in vlteriorem partem ad ædeis proprias haut hinc longe ſitas ſe recepit, vbi vxorem in limine anxie præſtolabundã reperit, tiotinnabulis templorum ad Palatini pulſum vbique claſſicum iam canentibus. quę pluribus quia in Hiſtoriarum libris perſcripta ſunt, heic omittere pretium duxi. ſub veſperã atq. adeo poſt cœnã, cum iã recedentibus aut diſturbatis regiis Guiſius vrbis potẽs eſſet, ad pontem reditum, & cum in taberna pannificia cum Barnaba Briſſonio præſide, penes quem copiarum vrbanarum illius regionis imperium erat, colloqueretur Thuanus, ſenſit, hominem iam vulgi auram captare & tempori obſecundare, quod illi poſtremo male vertit. eo mox venit à Guiſio Moius Riſborgius, & voce canora, vt ab omnibus exaudiretur, rege ſuggillato & exagitato eorum, qui circa ipſum eſſent, ſcelere, quid Guiſij voluntatis eſſet, aperit, & imperata facere iubet. nox inter fragores metumque tranſacta. poſtridie à Senatu delegati ad Luparam eunt, & pacis internuncios inter Regem Guiſiumque ſe praebuerunt. diuerſa parte in ea vrbis regione, quę Vniuerſitatis nomine indigetatur, odio ſectariorũ, quibus regẽ regioſq. in occulto fauere blatterabãt, factioſi, ſcholis incluſi iuuenes armantur, arma etiam ad Franciſcanorum collegiũ maxime populoſum, iuſſu, vt iactabatur, Briſſaci comportantur. iamq. de Lupara obſidenda rumor percrebuerat, cũ rex conſilij inops, præualentibus circa eum, nam Eſpernonius in Neuſtriam diſceſſerat, qui factioni clam nomen dederant, propudioſum vrbẽ relinquendi conſiliũ capit, & fugæ diſceſſu ſimili maiores animos coniuratis fecit, abductis ſecum prætorianis, quibus comitatus, facto per Clodoaldi fanum itinere Trapas contendit, proceres qua potuere aliis poſt alium regem ſunt ſecuti. Regina parens in vrbe manere iuſſa, vt concordiæ ratio iniretur. Schombergius poſt triduum petita à Guiſio; nam tunc omnia in vrbe eius imperio etiam præſente Regina gerebantur, ſecuritate, qua & Thuanus & Albertus Bellourei filius, qui poſtea Archiepiſcopus Lugdunenſis fuit, comprehendebantur, in viã ſe dant, & eodẽ itinere Autricum Carnutum, quo iam rex peruenerat, profectus eſt. ibi ad eũ venit è Neuſtria Eſpernonius, & eiecta protinus in Monſpenſerij gratiam ſumma prouinciæ præfectura in Santones & Engoliſmenſem principatum profectionem adornat. Villaregios interim vltro citroq. ad Reginam & Guiſium commeabat. cum res de induſtria à Guiſio firmandis rebus ſuis poſt caſum Pariſienſem moras nectente extraheretur, placuit, vt delegati in prouincias mitterentur, qui de rerũ ſucceſſu, volũtate regis io cõuocãdis regni ordinibus præfectos & magiſtratus edocerent, & in fide confirmarent. Thuanus Neuſtriam ſortitus eſt, & ex conſilio Moij Petrocurij pręfecti, qui in comitatu Re-

gis tunc erat,& poſtea mutauit,Mediolanum Eburouicum primo venit,& cum Claudio Sanctio vrbis epiſcopo iam ſecus affecto egit. inde per Lupatiam Rotomagũ profectus, & in Senatu primùm, dein apud decuriones auditus aditum ad vrbem regi venturo parauit. Diepam inde iter fuit, vbi affectos opidanos egregie erga regis cauſſam reperit, quippe maiorẽ partem Proteſtanteis & propterea Guiſianis infeſtos. ſed veriti, vt & Cadomi plerique, ne rex non tam de auctoritate recuperanda, quàm de quiete vel cum dignitatis diſpendio redimenda cogitaret, quod ex ingenio eorum, qui de rebus cõponendis adhibebantur, æſtimabant, egregios adeo affectus intra pectus premebant. ceterum ſi res ad bellum, quod minime rebãtur, ſpectaret, ſe vitam, fortunas pro regio nomine impendere paratos demonſtrabant. Diepa per Valerij fanũ Fiſcanum itum, cœnobio opimo nobile, quod inſtar arcis ſupra portum ſitum eſt, in quo reliquiæ pretioſæ olim librariæ ſupellectilis adhuc viſuntur. ibi præfectum conuenit, quo facto Monriuilleriam tendit, vbi omnia turbata oſtendit vicini præfecti minis, cui parere opidani neceſſe habebant. is erat Andreas Braneatius Villarius, ab Anna Ioiũſa, quem proxima cognatione contingebat, Franciſcopoli impoſitus, factioni iam accepta à Pariſienſibus pecunia addictus; quẽ regis nomine adire & compellare iuſſus nihil ab eo niſi verba ludibrij & cõtumeliæ plena accepit. tranſmiſſo Sequana per Petri Diuæ fanũ cum Cadomum veniſſet, lõge aliter & opidanos & præfectum Gaſparem Poletum Verunam affectos reperit. is ſi quidem mitis ingenio vir, quanquam arta cum Villario neceſſitudine coniunctus, longe ab eo diſſidebat, & nihil præter regis obſequium ſpirare videbatur, ſed eodem, quo dixi, cũ primatiis ciuibus reſpectu retinebatur. inde Lexouium ventum. vbi Loncampium factioni itidem mancipatum nequicquam conuenit Thuanus, & mox ſe Millaregium contulit, ſicuti cũ Pettocurio conuenerat. ibi à loci domino Pettocurij, qui interim ex Eburouicibus illuc venerat, fratre exceptus corã vtroque quid Franciſcopoli, quid Cadomi egiſſet, exponit, & cũ ſermones à Villlario habitos referret, mirati væſaniam hominis, ea laborare arrogãtia & ambitione illũ ambo dixerunt, quæ nulla ratione niſi tranſuerberato ſcloppeti ictu capite curari poſſet. & ita Millaregium ſentire poſtea Thuanus ad regem retulit. iam rex Autrico Rotomagũ venerat, vbi ſe ſpectaculis inanibus oblectabat. auditus Thuanus in arcano, mox in Picardiam, quia ad eã prouinciam miſſi nondum redierant, incerto rege, quid in illa ageretur, cum mandatis ipſius regis manu exaratis remittitur, factoque per Nouum-caſtrum itinere ad Abbatisvillam iuit, in qua magiſtratum conuenit, & arcis, quæ tunc ſtabat, præfectum. inde per Remigij pontẽ Samarobrinam Ambianorum venit iam factione præoccupatam, Balagnio è propinquo viteis & pecuniã oſtentante, qua ſe aduerſus Nauarriſtas religionis hoſteis, ſic regios vocabat, tueretur. vix oſtenſis mãdatis, quæ dixi, illis perſuaſum, regem, ſecus quam rebantur, affectum & ipſis & religioni proſpectum cupere. inde aduerſo Samona Corbiam ventum, vbi Pontium Belloforerium loci præfectum, qui aberat, diem integrum præſtolatus, optimæ antiquitatis bibliothecam iam à multis expilatam, ſed bonis adhuc libris & bonæ notæ fragmentis refertam perluſtrauit, multaque ſeorſim à reliqua congerie ſepoſuit, quæ rebus compoſitis olim ſibi atque adeo rei literariæ vſui fore ſperabat. ſed ſpem eius fraudauit belli diritas, & direptio opidi aliquot poſt annis ſecuta, quæ pretioſas illas reliquias non templi, in quo aſſeruabantur, religione tutas diſſipauit. itaque cum poſtea eas requireret, & præfectus loco à rege impoſitus arta cum vxore ſua cognatione coniunctus nihil ei negaturus videretur, inſpecto loco, nihil in arca in qua fragmenta repoſita erant, nihil in pluteis huc illuc diſiectis priſtinæ opulentiæ repetit, tantum aſſeres & tegumenta librorũ lacera per terram ſparſa calcauit. hic bellorum ciuiliũ, quæ male feriati homines hodie religionis zelo ſcilicet inflammati tantopere exoptant, fructus, hæc merces, hæc pietatis, quæ per cædeis & incendia graſſatur, repoſita in terris remuneratio. ibi Bellaforerium rure reuerſum compellat Thuanus, ad quem ſigillatitias à rege literas habebat, & ſermonum, quos cum Rege nuper habuiſſet, fideique datæ memorem eſſe iubet. ad quæ cum ille ambigue reſpõderet, quid egiſſet Samarobinæ, quid ad Abbatisvillam ad regem diligenter perſcribit, & verba ſibi egregie data, ceterum fidẽ Bellaforerij nutare monuit Thuanus, qui inde Nœoiodunum & Varanam in propinquo arcem Ludouici Barbanſoni ſororij primariam in Eſiæ inſula ſitam diuertit, quo ei vxor, quam in vrbe reliquerat, obuiam proceſſit. rebus interim ita compoſitis, vt bellum atrox Nauarro denuntiaretur, & edicto Iuliano conditio cui vix tandem adduci potuit, vt ſubſcriberet Niuernius, Rex Rotomago cum aulico comitatu, Regina parens cum Guiſio iam reconciliato Lutetia Autricum conuenerunt, vt de belli decreti ratione in commune conſultarent. heic rex vltro ſpem Rotomagi factã impleuit, & Thuanum in ſanctius conſiſtorium legit, qui ſacramentum dixit VII Kal. VIIbr. quo tempore de immania Hiſpanorum claſſis ad Britanniam inuadendam deſtinatæ ſucceſſu ſuſpenſi erant omnium animi, præſertim ſub aduentũ in aulam Bernardini Mendozæ, qui res Philippi atque adeo henotici fœderis apud nos, plusquã oratoris officium patitur, ſtudioſe procurabat. itaque cum conſiſtorium haberetur, in quo ſedebant

Cheuer-

Cheuernius, infra eum Villoclarus, Claudius Pinarius, & Bralartus Cronius Regi à ſecretis epiſtolis; in aduerſa menſa Archiepiſcopus Biturićenſis, & rurſus ſupra eum Guiſius; inter eos qui aſſederant, aderant & Thuanus & Emericus Vicus. habita tunc plena hinc diſſimulationis, hinc & adulationis, vt erant tunc in aula ſciſſa partium ingenia, de claſſe Hiſpana ſermocinatio potius quam deliberatio, quæ extemporanei carminis ad Puteanum ſcripti occaſionem præbuit; quod inter chartas eius iacere cum comperiſſem, non indignum viſum eſt quod nunc lucem videat, & heic ſuo loco inſeratur. CIↃ IↃ CI

AD CL. PVTEANVM SEN. PARIS. CLASSIS Hiſpanæ profligatio.

Poſtquam legitimi pertæſa Lutetia Regis
Intra Ediles Maias ſe ſeditione infunda
Polluit, in Luparam verſis quæ ſumpſerat armis,
Mentitaque ream ſe religione peregit;
Mox & Quintili pax non bene tuta ſequenti
Rotomagi coiit, Carnutum accedit ad vrbem
Rex iterum Henricus magna comitante caterua
Lectorum procerum, nuperque reconciliatis
Principibus; venit & gibbo aſturcone ſuperbus,
Aerea clariſonis cui tintinnabula bullis
Circum armoſque iubaſque crepant, Orator Iberus:
Tempore quo tot claſſem annorum totque virorum
Et biſſenarum, nam ſic aiebat Iarbas,
Auri myriadūn mandauerat ire Philippus
Oceanum in magnum, & fines penetrare Britannos.
Dum venit ambiguas per diuerſoria voces
Perque vias mirus fingendi ſeminat auctor.
Nam ſi quos fratres, ſi quos de fæce popelli
Nactus erat prenſos vanis rumoribus implet.
Cantat io lætos viſo nondum hoſte triumphos,
Anglos diſiectos paſſim, Drakumque fugatum,
Huc illuc ſparſos proceres, aulaque relicta
In Londinenſi Reginam turre latentem.
Obuius huic aliquis de nobilitate fuiſſet,
Ne planus & mendax, vt erat, videatur agyrta.
Compoſito mox læta inter & triſtia vultu
Luctantem narrat ſuſpenſo remige claſſem
Exſpectare auras faciles, nondumque triremes
Appulſas, certa ſed ſpe tamen omnia plena.
Ingens interea Bonatum ad littora nauis
Vento pulſa grauis fuluis illiſit arenis.
Maior ad æquoream clades accepta Caletum,
Qua breuis ad Doueram tractus patet locus olim
Aut Geſſoriaci dictus cognomine pagi,
Impleuit totos numeroſa remige vicos,
Augurioque fidem fecit præſaga ſiniſtro.
Nunc de ſucceſſu noſtra quis ſenſus in aula
Quæ vota atque metus, quæque exſpectatio claſſis
Accipe, ſollemnemque vna Puteane memento,
Quantum fas inter turbas ridere cachinnum.
Forte cohors procerum contracta ad præſulis ædes,
In quibus hoſpitium Rex pacis amator habebat,
Venerat anguſto conſultatura ſacello.
Conſilio ipſe aderam, (tanto Rex ſponte benignus
Indignum me nuper erat dignatus honore.)
Primum heic pupillis intra ſua claustra retractis,
Cornea vt exterius tantum appareret imago,
Stabat adoranti ſimilis, cæloque leuabat
Lumina, & adductas iungebat ad oſcula palmas
Petrelus, digne factum iuſte atque decore,
Quodque vrbat paſſim ſublimis gloria curru

CIↃ IↃ CI

Iugiter exclamans, & laudans regis Iberi
Conatus, magnos auſus fortiſque tribunos.
Ex aduerſo iuſſit Pinarius indole natus
Diuerſa, cunctis vt contradicere ludum
Duceret, vt merita eſt pereat quoque claſſis oportet,
Obrutaque inſana vento reſtante procella
Piſcibus eſcam auidis ludibria debeat vndis,
Qua noſtros auſa eſt venia ſine tangere portus,
Iniuſte ſatagens alienum inuadere regnum.
Excipit hunc miti teretes Reginaldus ineſcans
Et blando ſermone aureis; quo tanta profatus
Agmina & ingentes belli immaneſque paratus,
Hinc niſi deuictus Hiſpania vt arma Britannus
Protinus in ſegneis vertat victricia Gallos,
Parturiens illam lacerato ex orbe coronam,
Quam ſibi iam multis ſpe credula ſpondet ab annis:
Nam nullam in turbis pietas ſibi vindicat iſtis,
Nullam relligio diuinaque gloria partem.
Ambitione furit. non hoc ſeptemplicis vrbis
Præcipit antiſtes, non hoc Tarſenſis & ipſe;
Non hæc doctrinæ fundamina iecit vterque,
Cum peterent mortem, non hac per tempora priſca
Simplicitas graſſata via eſt interrita Patrum,
Inſula profuſo decorat quos tincta cruore,
Et fides teſtes veracibus inſerit actis.
Hæc dum ſollicita dubius bibit aure Philippus
Contractis humeris oculos huc voluit & illuc,
Et pauitantis heri vultus ex tempore ſumens
Nunc tacitus muſſat, nunc percontatur ab omni
Quiſquis adeſt ſocio, quid garrula fama ſuſurret,
Sinceriue crepet, quas aſtifer Aeolus auras
Fluctibus immittit, cæco quas carcere claudat.
Poſt illum ſucco turgens cathedraque ſedebat
Plena ipſo dirum monſtrum peſtiſque Renatus
Obſequiis ſemper gaudentis turpibus aulæ
Fœdus adulator corrumpendique magiſter
Strenuus. (huic tetro crus vlcere læue fluebat
Ex intemperie nimia crapulaque frequenti.)
Qui ſcurra digno ſic eſt ſermone locutus.
Callaico prouectus ouat Sidonius Auſtro,
Et poſita Boreas rabie deſauit & Eurus.
Sentio. nam mihi pus lacrimoſo crure refudat
Plenius, & ſanie manante ligamina fœdat.
Scurra valet pelagoque volat prætoria victrix.
Guiſiada hæc coram, rege intra ſceptra latente,
Fabula agebatur. cui pulcri vtrinque patebant,
Nam decet hoc illum, diducta veſte lacerti.
Qui comem ſimulans omneis aſſederat infra.
Is ter percuſſa poſt longa ſilentia menſa
Pauca refert, imò ſuſpiria pectore ducens,
Nemo niſi è portu ſoluens cum claſſe propinquo
Speret in Anglorum ſine damno exſcendere litus,
Saxonicoque ſolo titubantem ponere greſſum.
Longinquo ſi quidem iactatus ab æquore miles
Nauſeat abiectis ad munia debilis armis.
Atqui à Scaldi & Mattiaci. æſtuaria ad Ata
Belgica vix pandas admittit terra carinas
Sola tenet portus armatis nauibus aptos,
Sola, nec ambigitur. conatus Gallia tantos
Suſcipere, optatumque poteſt præbere triumphum.
Nec temere hoc ſi quidem tentata Bononia nuper
Ante diu claſſi ſtatio prouiſa iuuandæ,

Grauiter

Gnauiter obſeſſis ſed defendentibus vrbem
Ne quicquam amiſſos dux ſaltſmaret amicos
Pro vallo, turpique fuga tormenta relicta.)
Hæc vbi Guiſiades corde eructauit anhelo,
Vaci, qui prope erat, ſubito conuerſus ad aurem,
Iam de naufragio conſtat mihi certius, inquam,
Quam ſi rem Veneri denarret epiſtula Martis.
His in conſilio dictis ſurreximus omnes.

Autrici Carnutum IV. Kal. VI ibr. ƆIƆ IƆ LXXXVIII.

Autricum & Schombergius, qui in Iuliani edicti negotio operam Reginæ nauauerat, cum aliis venit, & pactis nuptialibus inter Ludouicum Barbanſonum Canium & Catharinam filiam, Lutetiæ Thuani ſororij interuentu confectis, ſponſalia coram rege & regina parente, quæ pro ſponſa olim in ſacro lauacro fideiuſſerat, celebrari voluit. Nic. Thuanus Epiſcopus verba fecit, magna corona & gratulatione circumſtantium. nec minore lætitia conuiuium ſub veſperam inſtauratum, cui rex cum regina & aulæ proceribus interfuit. Annas Anglurius Giurius arta cognatione cum Canio coniunctus, qui in aula iuuentutis veluti princeps habebatur, forma conſpicuus, verbis lepidus, totoque corporis geſtu concinnus, quodque in noſtra nobilitate rarum literis Græcis Latiniſque non mediocriter tinctus, & quod caput erat, militari virtute præſtans & ſtrenuus inter æqualeis creditus. is equi lapſu paulum luxatus, quanquam inuitatus, ſe excuſauerat, ne tamen omnino Canio cognato deeſſet, vt erat ingenio in his rebus feſtiuo, rationem inuenit, qua nouo ſpectaculo non iniucundus conuiuia interueniret, & quia rectus adhuc ſtare non poterat, à claſſiariis Turcis, quibus ob Hiſpanorum recens naufragium tota vrbs oppleta erat, ſuccollantibus ſellæ impoſitus, facie aperta, ſed habitu quaſi ad pompam perſonatam compoſito regem Indicum referente, in cœnaculum inopinato illatus eſt, incondita voce occinentibus vectoribus, magnoque riſu regem totamque aulam compleuit. ſponſalibus Autrici factis Lutetiam reditum. & peractæ in Schombergij ædibus nuptiæ, nuptáque à patre in Varenam arcem ad maritum deducta. Thuanus poſt tumultum Pariſienſem iam malorum, quæ impendebant præſagus cum vrbem amplius in regis poteſtate non eſſe exiſtimaret, ſupellectilem ſatis amplam, cuius partem faciebat quam à matre legato acceperat, argenteam gazam, gemmas, aulæa tapetes, veſtem ſtragulam. lectos, ex nuptiarum ſororij occaſione aſportauerat, quæ inde accenſo bello cum ſupellectile Schombergij, quam Nantonio copioſiorem habebat, Faram Veromanduorum deportata fuit iuſſu ipſius Schombergij, qui vtramque tuto loco depoſitam putabat, quod Guetrerium hominem ſibi addictum cum cohorte ſua ei impoſuiſſet. quod prudenter ab illo in ſpeciem factum male vtrique ceſſit. ſi quidem ſequenti anno locus à Florimondo Haluinio Menelei marchione captus & direptus fuit, & vtriuſque deperdita ſupellex, niſi quæ à Lametis fratribus ſeruari potuit, nam quicquid ab iis, qui domum ſeruabant, amoueri potuit, & Buchauanij in manus etiam conſignatum fuit, vxori eius, quæ Cuciaci, quod præſidio tenebat Lametus eius frater, per hos motus ſe receperat, bona fide reſtitutum eſt. nec minor tamen X aureorum millibus ea iactura æſtimata eſt, quæ ad alias pleraſque, quas hoc bello fecit, cum acceſſiſſet, nemo tamen Thuanum ea de re conquerentem vidit, aut litem cuiquam, quod alij plerique fecerunt, poſt res compoſitas ob id mouentem intellexit, ſiue quod ab omni contentione abhorreret eius animus, ſiue quod vereretur, ne vel damni metu aut ſpe lucri regias partes ſecutus, aut præteritis ſemel obliuioni traditis priuati commodi cauſſa memoriam eorum renouaſſe videretur. iamque inſtabat comitiorum tempus, & rex Blœſas, quo loco ordinum delegati conuenire iubebantur, profectus fuerat, vbi priſtinæ adminiſtrationis pertæſus, & res nouas agitans animo nouam faciem aulæ induxerat, domum relegatis Cancellario, Belleureo, Villaregio, Pinario & Brularto à ſecretis epiſtolis. Blœſas mox profectus eſt Schombergius, eumque ſecutus Thuanus diuerſo per Eclimontanam arcē in Carnutibus itinere, vbi Cheuernium domum remiſſum conuenit, & per triduum cum eo commoratus eſt. inter varios de rep. ſermones, cum quotidie de cōtrouerſiis inter regem & Guiſium ſubinde adulta factione per occaſionē exorientibus aſſereretur, in iiſque ſemper ſuperiorem Guiſium euadere, triſte de exitu augurium Cheuernius fecit, atque aliud, quam quod vulgo rebantur homines, quippe patientia & diſſimulatione regis auctoritatem ac dignitatem regiam minui ac prorſus in dies infringi, cum interea Guiſij potentia per ſuorum efferentem ſe inſolenter audaciam magis magiſq. creſceret, nam contra ille, qui regis ingenium perſpectum haberet, ſic diſſerebat diſſimulationem

illam & patientiam poſtquam omnia tentaſſet, quo res ad moderationem adduceret, ſi pergerent factioſi, vt minime deſtituros apparebat, ad extremum in furorem verſum iri, ac fore, vt cum minus putaretur, animos rex ex deſperatione ſumeret, & cum paucis Guiſij cubiculum in arce ingreſſus depoſito omni periculi ex eo ſecuturi metu ipſum cum ſuis pugionum ictibus confoderet. id pro tempore Thuanus preſſit, & Blœſas comitiorum tempore fuit, vbi multa inciderunt ſingularia, quæ in hiſtoriæ vniuerſæ corpus eum compingi non commode poſſint, heic prout Thuanus memoria ſuggerere potuit, aſcribentur. ille cum Carolo Vindocino Cardinali & Carolo Sueſſionenſi Borboniis fratribus aſſiduus erat, & plus ſtudio quam auctoritate res eorum adiuuabat. crebro etiam ad Annam Ateſtinam Guiſianorum & Nemoroſij communem matrem itabat, pro familiaritate, quam poſt vtriuſque parentis obitum cum ipſa colebat, ſi qua ratione inter duas familias non tam inimicas quam æmulas concordia iniri poſſet. ante tumultum Pariſienſem & poſtea Autrici & Rotomagi fuerat, in aula & tunc Blœſi erat Michael Montanus, de quo in ſuperioribus demonſtratum eſt, qui artum cum Thuano exercebat amicitiæ officium, & ipſum in dies vrgebat, vt de Veneta legatione, cui deſtinabatur, ſerio cogitaret. nam ſub id ex ea redierat Andreas Huraltus Meſſius Cheuernij gentilis. ipſe Venetias cogitabat, & toto tempore quo Thuanus in ea vrbe eſſet, ab eius conſuetudine non receſſurum ſe oſtendebat. cum vero de cauſſis horum motuum diſſereret, ſic aiebat, nam ſe aliquando inter Nauarrum Guiſiumque, cum ſimul in aula eſſent, medium interpoſuerat, Guiſium amicitiam Nauarri omni officio & ſedulitate ambiuiſſe, ab eo quem amicum, quem placatum habere expetiuerat, delusum & diſſimulatione excluſum, cum ſe hoſtem eumque infenſiſſimũ habere ſentiret, ad extremum armorum remedium, vt ſe decuſque familiæ tueretur, confugere neceſſe habuiſſe. hæc alienati animi inter eos initia in hoc belli incendium poſtremo exarſiſſe, cuius non alium exitum videat, quam alterutrius exitium, cum & Guiſius incolumi Nauarro de vita propria & ſuorum ſalute deſperet, nec Nauarrus ſuperſtite Guiſio ius ſuum tueri ſe poſſe in regni ſucceſſione confidat. religionem, quæ vtrique obtendatur, ab iis, qui illos ſequuntur, ſpecioſe prætexi; ceterum neutrum ipſorum reſpicere. nam & Nauarrum niſi à ſuis deſeri metueret, vltro ad ſacra maiorum paratum redire. & Guiſium, ſi periculum abſit, ab Auguſtana confeſſione, cuius guſtum aliquem ſub Carolo Cardinali patruo quondam habuerit, non abhorrere. ita cum inter eos communicaret, vtrumque ſentire animaduertiſſe. interea Guiſius ſuorum cauſſam ſuſcipere, alienos à ſe demulcere, ſingulos prenſare, honores, dignitates, magiſtratus, præfecturas, quaſi eas in poteſtate haberet, auidis venditare. denique nihil reliquum facere, quo vniuerſorum gratiam ſibi deuinciret. & cum ſub id rumore allatum eſſet, Annam Barbanſonam Nantolieti vxorem à ſicario pugionis ictu in iugulum directo petitam eſſe, Guiſius à Thuano officioſe quæſiuit, quid ſuper ea re reſciuiſſet, & vtrique operam ſuam & gratiam benigne detulit. Thuanus contra, qui à factione omni alienus eſſet, cum illum nunc vultu ſereno reſpiceret, nunc blanditiis ſermonis prouocaret Guiſius, modeſte ſe remouere & ſobrie reſpondere. de quo cum ille apud Schombergium quereretur, Thuanus ſic ſe excuſabat, vt ſibi non ſolum honorificam tanti principis beneuolentiam, ſed etiam his temporibus vtilem ac ſumme neceſſariam non diffiteretur. ceterum cum videret raros in eius comitatu bonos ciues, ipſum cum rege aſſidue altercari, perditum quemque ad eius latus ſe applicare, ea re fieri, vt ſe libenter ſubducat, & malit in obſcuritate conſeneſcere, quam vitæ ſplendorem huiuſmodi hominum ſocietate redimere. quod cum ad Guiſium relatum eſſet, ille rurſus replicabat, ſumma ſe ſemper omnia feciſſe, vt bonos illos ciues, quorum penuriam exprobrari ſibi doleat, omni officio ac beneficio ſibi conciliaret. nunc cum amicis opus habeat, reliquum eſſe, vt iis vtatur, qui ſe ſponte nec rogati offerant, cum alij quibus vltro amicitiam ſuam defert, eam defugiant, & quo propius defertur, ab ea longius ſe remouere videantur. iis comitiis pro ſacro ordine verba faciebat Reginaldus Belnenſis Archiepiſcopus Bituricenſis, is de quo iam dixi, ab omni factione & conſiliis turbulentis alienus, cumque de luxu refrenando ageret, qui iam tum laxis habenis ſe effundebat, & poſtea ſemper creuit, eius initia ſe Lutetiæ vidiſſe dixit, & exempla priſtinæ frugalitatis recenſuit, in iiſque Tulliam Thuani matrem, & primarij in vrbe magiſtratus coniugem poſt honorificam admodum præfationem propoſuit, quæ cum lectica, vt aulicæ principales matronæ & virgines ſemper antea cõſueuerant, & carruca, cuius tunc vſus rarus, vehi poſſet, tamẽ vt modeſtię ceteris inſtar eſſet, in equo poſt tergũ ſeſſoris domeſtici tapeti & ſtapedæ inſidens per vicos portabatur. quod cũ publice dixiſſet corã rege & frequẽti procerũ corona, & grauis illius ſiue ſimplicitatis ſiue frugalitatis cõmemoratio non indigna conſeſſu illo videretur, tamen in oratione, quæ poſtea cum ceteris comitiorũ actis publicata eſt, id totum omiſſum fuit. & vero non ita diu eſt ex quo effrenis illa in luxu licen-

licentia per vrbem graſſari cepit. nam primus, qui in vrbe curru vectus eſt extremo Franciſci II regno, fuit Io. Lauallus Boſcodelphinus vir illuſtri loco alioqui natus, quod propter corporis obeſitatem commode equo inſidere non poterat, tantumque tunc in aula duæ tunc carrucæ erant, ex Italia nuper vſu inuecto, altera Reginæ, altera aliquáto poſt Dianę Hérici II naturalis filię. prima in vrbe fuit Chriſtophori Thuani poſtquam princeps ſenatûs creatus fuit, qua tamen nec ipſe cum in Palatium cotidie, & interdum iuſſus à rege, nam niſi iubente rege ex laudabili maiorum inſtituto Palatinis magiſtratibus eo itare religio erat, Luparam iret, minime vtebatur, nec eius vxor cum ad inuiſendas officioſe amicas & cognatione coniunctas fęminas per vrbem incederet, ſed equo, ita vt dictum eſt, inſtrato vehebatur. tantum vterque cum rus proficiſcebatur, curru vehebatur. quod & in cauſſa fuit, vt diu poſt nemo currum in vrbe haberet. hodie ita multiplicatus eſt carrucarum numerus, vt quoque Venetiis priuatis vehendis nauiculæ, tot nunc in vrbe carrucæ numerentur, nec habito ordinis & condicionis delectu etiam infimæ conditionis homines iis promiſcue vtantur. quod in tranſitu, vt multa heic dictũ ſit. comitiis ad exitum ſpectantibus, cum Thuanus in dies regium nomen nimia patientia vileſcere mæreret, de reditu ad vrbẽ, vt publicis quantum in ſe eſſet, & priuatis rebus proſpiceret, cogitare cepit, & cum commeatum à rege ſecretius conclaue poſt cœnam ingrediente peteret, rex illum in tranſitu obſcuro diu manu prehenſum tenuit, & poſt aliquantulam moram, qua multa cum ipſo collocutus putabatur, nihil aliud ei mandauit, quam vt ſe & negotia ſua Achilli Harlæo primario præſidi ſotorio ſuo commendaret. Schombergius, qui à tergo ſtabat, poſtea à Thuano quæſiuit, quid tamdiu cum rege collocutus eſſet, cumque ille ſummũ inter eos ſilentium fuiſſe, nihilque aliud niſi honeſtatis ad Harlæum mandata ſibi data reſponderet, miratus eſt Schombergius, qui tamdiu rex ſiluiſſet, ex eoque ſuſpicionem fecit, eum plura mandare initio decreuiſſe, ſed re in mentem reuocata mutaſſe. & Thuanus ipſe poſt caſum Blœſenſem ita exiſtimabat, regem, qui tunc de eo cogitaret, in animo habuiſſe aliquid diſertius per ipſum ad Harlæum mandare, ſed ſecretum illud premi, dum apud ſe per illud ſilentium deliberaret, tutius duxiſſe. Carolus Balſacus Dunenſis Franciſci Entraguij fratris vicarius in præfectura Aurelianenſi, qui antea menſem hoc agere Guiſium per ſuos emiſſarios & Roſſium videret, vt concitatis opidanis Aurelianenſem arcem ipſi & Entraguio fratri eriperet, ſummiſſo iam illuc ante, vt ad omneis caſus præſto eſſet, Trenontio, cuncta circumſpiciebat, & cum parum præſidij in rege iam animo, vt ſibi videbatur, concidente reperiret, opes aliunde, qua poterat, conquirebat, quibus ſe aduerſus Guiſij & opidanorum conatus muniret. iam enim Guiſius inutioſa cum rege contentione quaſi obtinuerat, vt Aurelianum ſibi ſuiſque ſecuritatis loco conceſſum intelligeretur. cum hæc animo agitaret Dunenſis; cum Thuano, quem præter non vulgarem inter eos amicitiam regiis partibus addictum, & à factione omni ſemper alienum nouerat, ſæpius repetitis colloquiis cum eo Blœſis egerat, & quibus in anguſtiis verſaretur, oſtenderat, cuncta ad oppugnationem iam à Guiſianis comparara, ſe vero fratremque à rege deſertos, ac ſecuritate eius & intempeſtiua patientia eo rem deductam eſſe, vt ſe viribus propriis aduerſus Guiſij conatus tueatur. non ſibi animos & amicos deeſſe, nec item ignorare potiorem eius futuram cauſſam, qui anteuerterit. ſed vereri, ſi vim mature adhibeat, ne vrbem opulentiſſimam, quam ſaluam ipſe fraterque cupiunt, direptioni militum exponant. proinde ipſos maiora ac tutiora agitare, arcem anguſtam adeoque aduerſus tantam vrbem debilem amplificare, cuius vi vrbem in poteſtate habere poſſint, cunctis regij Francicique nominis ſtudioſis & à Proteſtantiũ partibus alienis certum perfugium. quod ſi contingat, ex eo etiam id ſecuturum, vt rex, quem de ſua quodammodo fortuna deſperare mærent boni omnes, animos priſtinos reſumat, & adiutus ab iis, ipſos viciſſim & auctoritate ſua & opibus adiuuet. ad id opus eſſe pecunia præſenti, vt exigi à milite diſciplina, & idoneo foſſorum numero contracto citra opidanorum iniuriam opus intra paucos dies perfici poſſit. gemmas ſe magni pretij habere, quas pecuniam commodanti libenter oppigneret. eam bonorum omnium communem cauſſam eſſe, quos proinde rogatos in occulto velit, vt in eam opes ſuas vltro conferant. non diſplicuit conſilium Thuano cum Cardinali Vindocino, vt ſupra iam dictum, arcta familiaritas erat, indignantique quod à Cardinali patruo à Guiſianis præoccupato & ipſis Guiſianis deſpiceretur, & periculum ex contemptu metuenti facile perſuaſit, vt pecuniam ad omneis caſus paratam haberet, ab eoque mandatum accepit, vt XX CIƆ aureorum Lutetiæ mutua ſumeret, quæ ſi reciperet, in eam rem impenſurus. nec prius Vindocino conſilium reuelaturus erat. ita enim cum Dunenſi conuenerat, cum quo iam paratis equis diſpoſitis poſtridie, quàm à rege commeatum petierat, dum cum quo iam paratis equis diſpoſitis poſtridie, quam à rege comeatum petierat, dum colloqueretur Thuanus in ima arcis area ſummo mane XV Kalend. Ianuar. forte accidit, vt Ioannes Burnonius Cuſſeus Senator Pariſienſis, qui Renatam Thuani

ex Ioanne fratre neptem in matrimonio habebat, & cum ipſo Lutetiam erat profectutus, chirothecas amiſerit, quæ eo tempore maxime neceſſariæ, eoque diligenter ac diu à lixis veſtigatæ nec repertæ ſunt. Lutetiam profecto Thuano, vt pecuniam quantam poſſet, ab amicis & aliis acciperet, morte Guiſij ſecuta, cum Dunenſi captum conſilium euanuit. interea Aumontius E. T. cum Entraguio & Dunenſi copiis regiis, quas habebat, Aurelianum miſſus, vt arcem aduentu ſuo firmaret, & ſi poſſet vrbem in poteſtatem redigeret. quod vbi Lutetiæ cognitum protinus decreti auxiliares. igitur cum Cuſſeus reſciuiſſet, quo die illi Aurelianum profectori, & qua iter facturi eſſent, per lixam, qui chirothecas præſente Dunenſi veſtigauerat, diligenter Aumontio, qui in arce erat, & vrbem obſeſſurus credebatur, renunciari curat, monitum, ſi fides ei non adhiberetur, Dunenſi de chirothecis amiſſis autem vellet. ſedulo id à lixa factum, cognitoque à Dunenſi, cum prius dubitaretur, ex mentione chirothecarum indicium verum eſſe, Aumontius eodem itinere, quo venturi erant Pariſienſes, Philippum Angeneum Fargiumè Rambulieta familia virum ingenio ac virtute militari præſtantem, & Franciſcum Grangeum Montinium cum delectis mittit, qui iuxta Nemoroſium nouos homines adſecuti facile eos fundunt & armis exuunt. capti carri & puluis nitroſus cum reliquo apparatu, multi tamen ex iis, nam plus cIↄↄ erant, incolumes Aurelianum peruenerunt, qui clade eleuata cum noua auxilia breui affore dicerent, oppidanis ad continuandam arcis obſidionem aduentu ſuo animos fecere: quod eo memoratum eſt, vt hinc diſcatur, quam paruis momentis interdum & ex occaſione res magnæ gerantur. de cæde Guiſij in peruigilio Natalis dominici cum poſt veſperas domum rediret, & triduum ante Blœſis Lutetiam veniſſet, ex rumore & diſcurſantium tumultu ad Thuanum allatum, qui regis vitæ metuens primo ſuſpicatus eſt, regem Blœſis à coniuratis interfectum, & hunc rumorem ab iis artificioſe diſſeminatum, vt cum poſtea de parricidio conſtaret, principium aggreſſionis à regiis profectum dicerent, & moderamine inculpatæ tutelæ ſcelus excuſarent. nox inquies exacta, ad matutinas preces pro more hinc conueniente populo, hinc armis vbique per vrbem ſtrepentibus. à templo proximo cum mane rediretur, & cuncti propere ad ignem nondum bene accenſum accederent, ex faſciculo ſiue ab imbre ſiue à cella ſubterranea, vnde allatus erat, madido ſerpens proſiluit, qui expoſitus & diu conſideratus amphisbænæ ſpeciem præferebat. erat palmi longitudine, colore fuſco ſeu pullo maculis diſtincto & geminum caput habebat, alterum in loco ſuo, alterum in ea parte, qua cauda & capite vtrinque ſecus nitibundo tractibus orbiculatis ſerpebat, qualem eam Solinus deſcribit quod curioſe & per otium obſeruatum, nam cum aliquandiu ab vna parte progreſſa eſſet, admoto igne, vt curſum mutaret, ab ea parte quæ loco caudæ erat, progredi cepit, vtrobique eadem capitis apparente ſpecie. quod tamen à ratione alienum doctiſſimi viri diſputarunt, qui & apud nos atque adeo in occidentalibus partibus raram inuentu ſcribunt, cum in Græcia & Lemno inſula, Aſia minore & Africa ſint frequentes. id ſuperſtitioſis vt erant hæc tempora cauſſam ex hoc veluti prodigio multa comminiſcendi præbiturum non euulgauit Thuanus, quod nunc non indignum commemoratione duxi, & amplius naturæ peritis diſcutiendum relinquo. ex recenti ac ſubito Thuani, quem à ſuis partibus alienum norant, in vrbem aduentu coniecturam fecerant factioſi, quaſi rei, quæ ſecuta eſt, conſcius, ad animos regiorum & res in eum caſum præparandas veniſſet. itaque varia inter eos agitata contra illum conſilia, & Ioannes Ruta, quanquam Caniæ familiæ cliens homo facinoroſus crebro ad ædeis eius ſuperbe ventitabat, vt qui homines in iis eſſent, quæ arma, qui equi inſpiceret. quas contumelias impatienter ferens Thuanus, parum abfuit quin manus in ipſum iniiceret. ſed ab amicis prohibitus ſe continuit, & patientia ac diſſimulatione, quod ægre faciebat, periculo præuertit. ſub id Ioannes Obſopœius, is qui egregiam cum Nicolao Fabro operam in Seneca M. Ant. Mureti recudendo nauauerat, & tunc in Sibyllarum, ſiue piorum Chriſtianorum, Zoroaſtræ & aliis colligendis oraculis verſabatur, à factioſis iniurioſe captus eſt, & vix Thuani, qui apud magiſtratus adhuc pollebat, auctoritate carcere liberatus eſt, & neceſſitas per libertatem illam impoſita vrbe excundi. itaque cum videret illum in eo eſſe, vt in Germaniam proficiſceretur, fidei eius commiſit exemplar Zoſimi, quod per Vlricum Oltingerum Laufenburgenſem adoleſcentem optimum qui tunc in ipſius familia erat, & Græce Latineque eleganter ſcribendi periſſimum curauerat deſcribendum ex autographo Ioannis Leunclaij. quod ipſe Bizantinæ legationis Cæſareæ comes inde ſecum attulerat, & quo ante aliquot annos in eo ſcriptore Latine vertendo vſus fuerat. id porro ille poſt verſionem ſuam abſolutam, quam cum Procopio & Agathia Latine olim à Chriſtophoro Perſona verſis & à ſe recenſitis per Petrum Pernam publicauerat, Franciſco Pithœo, cum Baſileæ eſſet, donauerat, vt Pithœus aiebat, lege addita, ne niſi ſe monito euulgaretur. Itaque Thuanus fidei Mureto datæ memor,

quam-

quamuis iam deceſſiſſet, & quod à multis pariter experi ſciret, ſplendida fraude ſibi vtendum cenſuit, edito autographo Pithœo, & deſcripto ex illo ad Fridericum Silburgium per Obſopœum tranſmiſſo, quod biennio poſt Francofurti cum aliis Græcis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus ex Vecheliana typographia prodiit, ſicuti & ipſe Silburgius in præfatione profeſſus eſt. quam Thuanus libertatem Obſopœo impetrauerat vix ſibi ſeruare potuit, Maria Barbanſona vxore à Ioanne Ruta illo, quem dixi, maritum abſentem quærente, in Baſtiliam mox deducta, quæ Aumalij Ducis iuſſu, cum totam diem in ea commorata eſſet, & Chriſtophori Baſſompetræ interuentu inde profunda nocte tandem emiſſa eſt, dum Thuanus interim lateret, & ſubinde per tenebras domicilium mutaret, donec amicis ſibi metuentibus ad S. Franciſci perfugium habuit. quo in cœnobio à quibuſdam fratribus ſumma fide & humanitate habitus eſt, & imprimis à Roberto Cheſſeo, qui ex concionibus famam ſibi apud populum quæſiuerat, & initio regis rebus fauebat, ſed mox magno ſuo infortunio mutauit, in Vindocini expugnatione eodem anno ob ſeditioſas contra ipſum conciones laqueo publice ſtrangulatus. tunc omnes boni fugam parabant, & vrbis portis frequenti cuſtodia ſeruatis exitum circumſpiciebant. igitur variæ initæ ab amicis rationes, quibus Thuanus, qui libertatem vita bonisque potiorem ducebat, ſe miſeræ captiuitatis vinculis extricaret. ſed hoc angebat illum, quod cariſſimam coniugem, quæ iam carceri mancipata fuerat, poſt ſe nollet in vrbe relinquere. itaque illa habitu matronæ vrbanæ, poſitis nobilitatis inſignibus, equo gradario vecta diſceſſit, & ad Capreolium receptum habuit in domo Petri Bruneti qui Chriſtophori parentis dapifer fuerat. dum ad S. Franciſci adhuc Thuanus lateret, placuerat, vt amictu religioſi, dum ſupplicatio per Saniacobinum ſuburbium procederet, vrbe emitteretur. ſed periculum ſuberat, ne res detecta, ordinem infamia oneraret, & ludibrio deprehenſum exponeret. tutius igitur viſum, vt militari habitu cuſtodias falleret, à Feſſono notiſſimo ludi pilæ exercitore, qui Cardinalis Guiſiani ob id cubicularius fuerat, ſub veſperam in ſuburbium, vbi paratos equos habebat, deductus. nec melior Feſſoni, quam Cheſſei ſors fuit, qui biennio poſt cum fame premente vrbe obſeſſa exiiſſet, ab infeſtis captus ad munitionem proximam doliarem laqueo gula fracta eſt Aumontij iuſſu, qui nec illum nouerat, & miſerum accuſantibus, quaſi regios in vrbe crudeliter vexaſſet, nimis credulum ſe præbuerat; nam tum Thuanus aberat, in arce Nantolieta vehementi febre preſſus, qui cum de re intellexiſſet, longe grauiſſimum dolorem ſenſit, quod homini bene de ſe vti dictum eſt merito ſubuenire minime in tempore potuiſſet.

VIRI ILLVSTRIS

IAC. AVG. THVANI

REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII, ET IN SVPREMO REGNI SENATU Præſidis ampliſſimi,

COMMENTARIORVM DE VITA SVA LIBER IIII.

CAPREOLIVM indemnati exules vbi venerunt, ex ſecura præteriti periculi recordatione procax inter eos exorta lætitia, cum Thuanus in vxore calicendron & reliquum vrbanum amictum, quo cuſtodes ad portas fefellerat, illa in viro obſoletum amiculum rideret. poſtridie Eclimontiam Cheuernij in Carnutibus arcem ambo profecti ſunt incolumes medio fere Ianuario à tanto hoſpite ſumma gratulatione excepti. cum eo erat Maria ſoror, Claretij in Aulercis proximis antiſtita, quæ accepto diplomate Pontificio nondũ poſſeſſionem adepta fuerat. pluſculos dies ibi commorati ſunt, atque adeo vſque ad menſem proximum. Varij de rep. & aulicis negotiis habiti ſermones, & multa primis motuũ noſtrorum temporibus ab obnoxiis iactata & ſcriptis mandata ad verum familiari cum Cheuernio, qui magna pars eorum fuerat. diſquiſitione expenſa, iam tum Thuano de opere hiſtorico cogitante, quod biennio poſt inchoauit. renouata & augurij, quod IX bri ſuperiore, cum Thuanus Blœſas tendens ad Cheuernium in itinere diuertiſſet, ſicuti iam demonſtratum eſt, de regis Guiſijque contentionum exitu ab ipſo mali præſago facti memoria, de quo cum Lutetiam reuerſus ante caſum Blœſenſem cum Eduardo Molæo Senatore ſumma ſecum amicitia coniuncto inter familiaria colloquia mentionem iniecisſet, poſt caſum mox ſecutum miratus eſt Molæus prouidum ex perſpecto regis alumni ſui ingenio Cheuernij iudicium, qui tam certam de incerto rei funeſtæ euentu iam tum coniecturam feciſſet. inſtante demum Purificationis feſto occaſio ſumpta hoſpitium mutandi, & Maria ac Thuanus cum vxore Autricum Carnutum venerunt, & ad Nicolai Præſulis communis patrui ædeis diuerterũt, non minore quam apud Cheuernium gratulatione excepti. ibi dum eſſent, & res mutarent, vrbe ad hoſtes deficiente ac Meduanio, qui capta Aureliani arce & vrbe in partes ſuas aſſerta quaſi triumphans Lutetiam tendebat, ſuperueniente, regij vbique profligarentur, Thuanus à Theodoro Lignerio arta ſecum amicitia multis ac cauſſis coniuncto monitus ſibi mature conſuluit. qua in re non parum iuuit eum prouida Gaſparis Schombergij mens, qui vt amicum periculo, in quo verſari eum putabat, eriperet, literas manu Chriſtiernæ Lotaringiæ, quæ Ferdinando magno Etruriæ duci deſponſata, in eo erat, vt ſe ad maritum conferret, ſcriptas ad eum miſit, quibus mandabat, vt ſe propere in viam daret profectionis in Italiam comes futurus. quas literas Thuanus Meduanio, cum factioſi inſtarẽt, vt illum retineret, ſinu promptas tempeſtiue oſtendit, earumque beneficio captiuitatis periculum euaſit. erat Autrici Carnutum tunc forte Dominicus Vicus legionis tribunus vir ſtrenuus & regi ſumme fidus, qui graui ad Caturiges in Prouincia, res in ea gerente Eſpernonio, in crure vulnere accepto, dum crus ſeruare ſperat, clinico morbo diu afflictus fuerat, vixque tandem mulo vectus, protenſo languido crure, incedebat, ſed aſſiduis in partem debilem fluxionibus & communicatione in totũ corpus cũ in dies magis ac magis cruciaretur, eo fiebat, vt ad munia militaria inutilis redderetur. quod virum generoſum & qui bello tam crudeli accenſo opera ſua regi inſeruire cuperet, plus quam morbus ipſe angebat. itaq. ex conſilio Thuani, qui non aliter conualiturum Vicum iudicaret, crus ſibi amputari paſſus eſt, quo facto priſtinũ robur & valetudinẽ recuperauit, & cum ſub Henrico III ſecũda fortitudinis militaris fama ſtipendia feciſſet, maiora ſub Henrico IIII geſſit. Thuanus vxore in Picardiã ad ſuos ad res domeſticas curandas præmiſſa cum Henrico Eſcubleo epiſcopo Malleacẽſi

viro

viro integerrimo & bonarum ſemper partium ſecuritatis literis à Meduanio acceptis per Forum nigrum & Fretevallium Longovillanorũ patrimonialia opida facto itinere, Blœſas profectus eſt. rex in ſolitudine & morbo iacens Thuanum ſubito admiſit, & cum dubitaret an Nauarrum euocaret, inſtiterunt Schõbergius, Ioachimus Caſtrouius, Fr. Doüs, Claromontius Balſacus, Liencurius Pleſſius, Nic. Grimovilla Larcantius, qui in arce reliqui cum eo erant, vt Thuanus & ipſe apud eum de Nauarro euocando inſtaret, quod cum illi qui adſidui apud eum fuerant, fruſtra hactenus tentaſſent, ab homine in aula recenti denuo tentari & impetrari poſſe, præſertim neceſſitate in dies magis vrgente, ſibi perſuadebant. id ille ſedulo fecit, & neceſſitati quæ omnem deliberandi libertatem adimat, parendum eſſe pluribus oſtendit. melius id quod tutius ſit, ab omnibus æſtimatũ iri. acceſſendas vndecunque vireis, quibus qui vincet, & cauſſa potior erit. ſic enim fore, vt nobilitas, quæ in arcibus ſuis contra ciuitates vicinas tuendis occupatur, vbi cognouerit, regem habere inſtructũ circa ſe exercitum, ilico ſit aduolatura. nã nulla re alia eã retineri, quam rerum deſperatione, alioqui nec affectum mutaſſe nec porro mutaturam, modo ſe rex ipſe minime deſerat, & oblatis à Nauarro auxiliis vti minime recuſet. tandem acceſſitus, & in occulto à Schombergio & Thuano auditus Philippus Mornæus Pleſſius, & res cum eo trãſacta. erat adhuc in aula Fr. Morocenus Cardinalis Pontificius legatus vir candido ingenio prędítus & erga regem, cuius beneficio eam dignitatem adeptus fuerat, admodum bene affectus, qui nihil non agebat, vt res ad concordiam adduceret, miſſis ad Meduanium cum Caſtelloduni eſſet, internunciis, qui locum ſibi ad agendum cũ eo condici peteret. is quod cum Pleſſio ageretur, minime ignorabat, nec cum Schombergium & Thuanum à rege miſſos admitteret, in arcano conſilium, quod à neceſſitate imperabatur, probare non poterat, ſed propter perſonam, quam ſuſtinebat, cum alio quam cum Meduanio agere prohibebatur. itaque cum nihil ab eo obtinere poſſet, ęgre & inuitus fecit, vt à nobis diſcederet, & rebus adeo turbatis in Italiam ſe conferret. dum comitia calerent, crebro ad eum itabat Thuanus & de vltima ſua Byzantina legatione pæne furioſo Corcyrenſis præfecti ſcelere euerſa, ac vix prudentia eiuſdem & moderatione placatis purpuratis. multa didicit, quæ ſcriptis mandauit, ex eoque in artam familiaritatem cum præſule humaniſſimo venerat, qua & effectum, vt cum ſub id Hieremiæ Threnos, vt ſe in publica calamitate, quæ ante oculos obuerſabatur, ſolaretur, latinis verſibus vertiſſet, eos illi tanquam ſequeſtri & optimo rerum noſtrarum moderatori inſcripſerit. & ſane eo præditus erat ingenio, & in nomen Gallicum adfectu non vulgari, eaque tunc auctoritate pollebat, vt niſi vtrinque mens læua fuiſſet, per eum res componi & tempeſtatem tam fœdam, quæ totum fere decennium hoc florentiſſimum regnum ad extremam perniciem adduxit, declinari potuiſſe omnes boni ſperare debuerint. Deo non ita viſum, vt tam opportuno remediũ ad mala noſtra vſi fuerimus, & ipſe cum Romam reuerſus eſſet, exiſtimationis periculum adiuit, quod camino oleum non addidiſſet. ita erant inflãmata tam extra quam intra regnũ omnia, vt non ſolum moderata vbiq. conſilia reiicerentur, ſed tanquam ſuſpecti & odio publico digni cenſerentur illi omnes, qui res ad pacem & concordiam adducere, & malis, quæ impendebant, prudentia ſua & ęquitate præuertere conabantur. nuper & in aulam poſt caſum Blœſenſem iuſſu patris venerat Henricus Borbonius Dumbarum princeps regia vere indole puer & literis bene inſtructus, quem & ſæpe inuiſebat Thuanus, cumque ei Eccleſiaſten, hoc eſt ſapientiſſimi regis de ſummo bono concionem verſibus à ſe latinis redditam obtuliſſet, deuotæ in regiam familiam affectionis pignus, ille epiſtolio, quod & propria manu exarare voluit, protinus munerantem remuneratus eſt, quod cum libro poſtea excuſum eſt. hoc non vulgaris artæ & quæ ad extremum ſpiritum cum Thuano ſeruauit familiaritatis & amicitiæ initium fuit, vt nihil fere in rep. ac magnis negotiis faceret ageretve, quod cum eo non communicaret, ab eoque probari ante omnia expeteret. deſperata concordia Blœſis Cæſarodunum Turonum ventum, captiuis, qui Amboſiæ erant, in itinere receptis & in tutum deductis. ibi de Senatu legitimo conſtituendo actum, quem rex in vrbe relicto & perduelli opponeret, & in quo diplomata regia ac mandata ad alias prouincias mittenda more maiorum publicarentur. qua in re multæ difficultates ſuboriebantur. nam Senatores quidem & libellorum ſupplicum magiſtri idoneo numero aderant, & præterea Iacobus Faius Speſſæus aduocatus regius & regij nominis acerrimus propugnator. verum aberant præſides, pars in vrbe remanſerat, pars carcere attinebantur, alij huc illuc ſibi & rebus ſuis metuentes in arcibus priuatis latebant, conſilium ex tempore capturi. Ioannes Gueſlæus nuper Laureoli in Carnutibus deceſſerat, & eius dignitas nondum in quenquam collata fuerat, igitur agitatum in conſiſtorio regio, in quo erant Carolus Borbonius Cardinalis Vindocinus, & Franciſcus Montholonus, cui ſigillorum procuratio à rege paullo ante attributa fuerat, quid facto opus eſſet. aderat Speſſæus magiſtratu ſe abdicare iampridem cupiens, vt vltra eo fungi nolle ſe palam oſtendebat, paratum ſe nihilominus partes ſuas obire dicebat, modo is præſes legeretur,

qui dignitate primaria dignos Senatoribus animos ad munus ſuum fortiter capeſſendum exemplo ſuo faceret, in eoque ipſe & omnes ceteri qui aderant, de Thuano conueniebant, qui Senatoria familia ortus auum & patrem eadem dignitate præditos habuiſſet, aliosque præterea Senatores gentileis ſuos, & nobiliſſimis familiis cognatione coniunctus, quod caput erat, ſemper regias partes ſecutus fuiſſet, & patrui ſucceſſor deſignatus in ea dignitate quaſi iam collocatus videretur. id abſente Thuano actum & ignaro, qui ſubito regis iuſſu ab apparitore euocatus cum ſe ſtitiſſet, & quid de ſe Rex vellet, ex Montholonij ore didiciſſet, additis etiam Vindocini hortatibus, pertinaciter ſe excuſauit, gratiiſque regi & conſiſtorio pro tam honorifica nominatione actis, quanquam ſe deſignatum præſidem non diffiteretur, ſe tamen ad honores ita affectum veniſſe dixit, vt eos defugeret, ſiue is pudor eſſet, ſiue quædam animi ruſticitas, qua fieret, vt ad ea, quæ tantopere homines ambiunt, initio cohorreſceret, & ſperaſſe fore, vt cum ea dignitate fungeretur, non principe loco, ſed vltimus poſt alios ſederet, multa ad eam requiri, quæ tempore parantur, & quæ viro bono optabilius ſit habere, quam ipſam dignitatem, qua ſi iam dignus habeatur, nolle committere, vt conceptam de ſe opinionem intempeſtiua feſtinatione fallat. tam pulchrum inter Speſſæum ac Thuanum modeſtiæ & generoſæ in Remp. pietatis exortum certamen, cum neuter eam tempore tam calamitoſo deſerere vellet, & dum alter alteri concedit, præſidis dignitas, qua ad res in Senatu ordinandas præcipue opus erat, ab vtroque honorifice repudiata in medio iaceret, quam tandem vt ille ſumeret precibus & auctoritate, qua apud amicum valebat, peruicit Thuanus. itaque in locum Gueſlæi Speſſæus præſes creatur, & Speſſæi aduocatiu regia in Ludouicum Seruinum iuuenem doctum & regiis partibus addictiſſimum Vindocini Cardinalis commendatione tranſlata eſt. Thuanus cum domi tam honorifica cum dignitate à rege delata extra periculum manere poſſet, legationis Schombergio commiſſæ, comes maluit cum amico in Germaniam proficiſci & ſudorem pulueremque viæ cum ipſo partiri. is auxiliarem exercitum XX CIↃ peditum & X CIↃ equitum conſcribere iuſſus, dum delectibus habendis occuparetur, Thuanum ſibi ſocium adiungi petierat, qui primo Cæſarem adiret, ac dein cæteros Imperij principes, ac præcipue fœderatos, quorum gratia & pecunia copiæ legi debebant. verum in itineris ratione ſummæ difficultates ſubortæ, cum ſparſa de Schombergij per regnum fama Henotici inſidias vbique ſtruxiſſent, vt eum interciperent, quod intercepto duce tantiſper auxilia parata remoraturos ſe crederent, nec paruum in ea mora momentum ponebant, quippe qui ſibi perſuaderent, niſi externis opibus rex iuuaretur, fore vt intra quadrimeſtre toto regno ignominioſe pelleretur, ſic enim vulgo iactabant. itaque cum primo via compendioſiore cum Philiberto Guichio ſummo rei tormentariæ præfecto & Montinio, cui Biturigum præfectura attributa erat, per Romorantinum iter feciſſet, vt inde per Carolatenſem principatum & Æduos ad Lingonas & limitem tenderet, monitus validas copias ab illa parte oppoſitas, retro iter flexit, & Blœſas propere rediit, vbi tunc Eſpernonius erat, inde miſſo ad regem, qui ad Eraldi-caſtrum in Pictonibus hærebat, Thuano, qui mutati conſilij rationem exponeret, & per Nauarri præſidia faciẽdum iter oſtenderet. nam compendioſiorem viam videri, quæ tutior eſſet, & mutata ratione temporum ad eam accommodari conſilia debere. Antonium infeliciter regno Luſitaniæ inauguratum nuper apud nos profugum, cum in Armorica ad Sulciniam inſulam à Philippi fautoribus, pene interceptus eſſet, apud Rupellanos perfugium tutiſſimum habuiſſe, indeque ad regem ſe ipſiſſe, nuſquam ſe maiorem fidem, quam inter infideleis, ſic noſtrates Proteſtanteis appellabat, expertum eſſe, quæ nuper infeſta nobis, ea nunc ſola tuta regi regiiſque eſſe, nam à ſeditioſis cetera fere occupata. heic rex qui eodem tempore & de Aumalio ad Siluanectum fuſo, & Saueuſio à Colinio cæſo, auxiliaribus item Heluetiorum copiis per Lemanum lacum duce Sancio late victricibus ac propediem venturis accepiſſet, facile aſſenſit, vt Schombergius, qui valida illa auxilia adducturus eſſet, longius ſed tutius iter caperet. itaque per Salmuriam, Louiodunum, Thoartium, Niortũ cũ aliquot Heluetiorũ tribunis ad Ioannis Angeriaci fanũ in Santonibus incolumis peruenit, vbi vxor Condæi nuper defuncti & de cuius morte varia fama ſparſa fuerat, cuſtodia attinebatur, quæ cum ad hoſpites venire non poſſet, neque vero hoſpitibus eam conuenire liceret, ad hoſpitium Helionoram filiam & poſtumum nuper natum ad Schombergium ac Thuanum miſit, eoſque illorum patrocinio, quantum enixe poterat, commendauit. nec captiuæ matris preces irritæ fuerunt, nam vtrique ab eo tẽpore matrem filioſque tanquam regiæ cauſſæ coniũctiſſimos præcipuo ſtudio ac fauore poſtea ſemper proſecuti ſunt, magnamque eo nomine primum apud patruos, ac dein regem ipſum inuidiam ſuſtinuerunt. decreta fuerat ad reginam Eliſabetham legatio, vt gratia ſua & pecunia regis negotium in Germania adiuuaret, quę Schombergicæ legationis partem faciebat, quam cum ille obire non poſſet; & Thuanus primo ei deſtinatus eſſet, Schombergius eum penes ſe retinuit, & Petro Mornęo Buhio Pleſſij fratri obeundam commiſit. is ſanum Ioannis venerat, vt vltima mandata à

data à Schombergio acciperet, & inde Rupella ſoluit, & in Angliam ire perrexit. Ionzacum deio iter fuit municipium in Santonibus frequens, ac dein per Cotracum facto itinere & luſtrato pugnæ recentis loco, Montanum in Petrocoriis itum, à quo Michaëli & familiæ eius nomen. is Burdigalæ erat, vxor eius Preſſaci, qui cum Schombergio erat, ſoror hoſpites lautiſſime excepit. haut hinc longe abeſt Caſtellio ad Duraniom ſitum opidum vltimis bellis à Meduanio diutina obſidione captum, & mox ab Henrico Turrio Turenæ Vicecomite exiguo negotio receptum ac præſidio firmatum, clade Talbotī olim anno CIↃ CCCC LIII tota Aquitania nominatiſſimum, quod tutum per illa loca tranſitum regiis præſtabat. Montano Bergeracum & inde Fidei-fanum itum, quod à Petro Chuppio ex nobilitate Pictonica veterano ac ſtrenuo duce tenebatur, ibi retractatum Contracenſis pugnæ negotium, in quo ipſe fortem operam Nauarro nauauerat, & deſcriptio loci & ordo in conflictu vtrinque ſeruatus in tabula expreſſus ab eo exponitur, ſignis ipſis in pugna captis vt erant lacera & complicata, in proximo cœnaculo pro aulæis ad parietem affixis, quæ Schombergius mox tolli, & ne triſtis caſus per ea memoria renouaretur, omnino aboleri iuſſit, & vt id fieret, auctoritate qua apud Chuppium valebat, facile obtinuit. inde Monflanquinum in Aginnatibus itum, & tranſmiſſo fluuio Neracum, atque inde rurſus Lactoratum, eoque Malauicinio & Monfortio Armeniaci principatûs opidis vt Schombergi præſto eſſet cum ſuis armatus venit Gul. Salluſtius Bartaſſius Hebdomadis vtriuſque auctor adoleſcens. nam nondum eam ætatem exceſſerat, candido ingenio præditus, & poetica facultate præſtans, & quod mirum illo cœlo nullius ope tantum opus molitus, quod per otium emendare ſe paratum oſtendebat, optabatque bellis ciuilibus finem imponi, vt Lutetiam ſe conferre poſſet, & priorem præcipue hebdomadem tam multis probatam denuo ſub incudem reuocaret, hoc enim Thuano per tridui iter, quo ſimul fuerat, ſæpius religioſe confirmauit. quod eo heic adnotandum duxi, vt ſi quid maleuoli, quod fere fit, in ea carpunt ſciant auctorem quædam & ipſum deſideraſſe, & ex amicorum conſilio meliora fieri expetiuiſſe. ſed mortem inuidiſſe illi, ne & bellorum exitum videret, & vltimam manum admirando operi poſſet imponere. per inſulam Iordani & Manſum Vicodunenſe dein itum, vbique tranſmiſſo Garumna, vt Toloſæ viciniam vitarent, in Cadurcos conuerſum iter. & Montalbanum ad Turrium venit Schombergius, quo ad eum itidem venit cum expeditis Pregentius Laſiniux Carnutum Vicedominus iuuenis forma & virtute præſtans à quo per Nigrapellicium opidum Antonij fanum in Rutenis deductus eſt. heic cum expeditioris per plana itineris ſpes fieret, tranſmiſſo Tarni ad Villamurtam conſultua Luduuicus Amboſius Albigei comes, qui Grolram arcem in proximo habebat, & Millacum ventum Franciſci Caſſillaci Seſſaci arcem, vbi Schombergium amiciſſime excepit. is veteranus aulicus ac belli dux Guiſio patri filioque ſtrennam operam in bellis nauauerat, & inter equites torquatos poſtremo allectus à partibus omnino diſceſſerat, confinentem ad ipſum vicinam nobilitatem ſumma fiducia officij admonens ſuoque exemplo vt ſaperent palam hortabatur, multorum ſe principum amicitias aſpiraſſe, nullam regia ſuauioram expertum eſſe; ſi Rex ad ſe ſcabioſum canem mittat, illi lecto proprio ceſſurum. quod eo dicebat, quod murmura quorundam circa ſe audita intellexiſſet, vltro illum in arcano prehendentium quod regios tam propenſa voluntate reciperet. in proximo infeſtiſſimum cum Proteſtantibus bellum hactenus geſſerat è primaria nobilitate adoleſcens impiger Ludouicus Vicinux Ambra Ambroſio & Seſſaco arta cognatione coniunctus, & tunc cum regiis, quorum cauſſa vtriſque regibus coniunctis par habebatur, geſturus credebatur. is Vaurum, Papuli-fanum, & Albium tenebat, & inde frequentibus excurſionibus infeſta circum omnia faciebat; cum de eo nihil ſpondere poſſet Seſſacus, auctor Schombergio fuit, vt quoniam huc vſque progreſſus eſſet, planis Septimaniæ ad dextram relictis, per montana ad læuam aſperiore via ſed tutiore iter proſequeretur. ad Villam francam in Rutenis primum hoſpitium fuit, quo Schombergium Burnazalius prouinciæ præfectus expectabat multa nocte conuentum, quod multoties ſubſiſtendum in via eſſet, dum equi exſoleati recalcearentur. multi ex eo equi claudicantes huc illuc relicti ſunt & amiſſi. inde per Burnazaliam arcem reflexo retro itinere Figeacum ventum, & rurſus inde Caluinetum, quem ſolum in Aruernis locum tenebant Proteſtantes. eo venit Meſſillacus Raſtiniaci comes cum delectis, & poſtridie Schombergium ad Murem-barrenſem deduxit. Cemenui montes à Petrocoriis incipientes continuo dorſo Lemouices à Septentrione, Cadurcos & Rutenos à meridie & poſtea Aruernos ac Velaunos amplectuntur. inde ſecundum Rhodanum verſus meridiem porrecti, qua altiores ſunt & magis horridi, Gabalos habent ab occaſu, ab ortu Viuarienſem pagum, ibique demum Cemenorum nomen aſſumunt, ac mitiore iugo ad Aleſiam deſcendunt. Muro Raſtiniacus regios in conſpectum Marologij deduxit, quod eſt regiæ iuriſdictionis ſolum & vnicum in Gabalis opidum & quaſi in tuto collocatos deſtituit. id paullo ante à regio exercitu aut potius priuato Antonij Turrij Sanuitalis odio deſtructum, fons tantum ad octum cum labro & ſolio ſuo integer relictus, & ad occaſum vicus. reliquum moles

CIↃ IↃ CI

CIↃ IↃ CI lapidum obruerat, ita vt venientibus ſolitudo vbique appareret, ſed poſt macerias ille, quem dixi, vicus latebat ſatis frequens. Petra ad dextram longe aſſurgebat, illa Ioiiſæ expeditione itidem deſtructa. equis paullum recreatis placuit vltra progredi Chenacum vſque oppidum, vt iis locis, populoſum, vbi Palatium epiſcopi, & in eo Durandi Speculatoris muſæum oſtenditur. Chenaci pernoctatum, & inde poſtridie Mimatum ventum, vbi ab Adamo Vrtalupio præſule & prouinciæ comite, qui Reginaldo Belnenſi, de quo demonſtratum eſt, ſucceſſerat, Schombergius & Thuanus cum toto comitatu humaniſſime & lautiſſime excepti ſunt. erat quippe præſul ille & muneris ſui diligens & erga Regem regioſque mirum in modum bene affectus. obſeruatum inter menſas, quæ apponebantur, volatilia aliaque ſilueſtria capite, crure, ala, clunibus fere truncata eſſe, mirantibuſque facete à domino reſponſum, promi ſui gulæ condonandum, qui miſſus prægustare ſit ſolitus, cum quærerent conuiuæ, quis ille promus, quem deſignaret, ſic comperiebant. frequenteis illis locis vt montanis Aquilas nidulari, quippe re omni abundantibus & toto regno ob id præcipue pecunioſis. nidulari autem illas cauis rupib. inacceſſis, & ad quas cum pedibus quantum potis eſt, aſcenderis per ſcalas comportatas aut vncos ferreos vix penetratur. id obſeruare paſtores, protinuſque iuxta gurguſtiũ extruere, quo tecti ab infeſtis illis, cum ad pullos præda onuſtæ aduolant, tam mas quam femina, ſe tueantur. nam mas totum trimeſtre, femina quandiu pullus in nido iacet, nec euolat, aut quouſq. nouis amorib. pertentetur, ad prædam per ſubiectam regionem diſcurrunt, & è domibus ruſticis capones, gallinas, anſeres & eiuſmodi aueis cohortaleis; aliquando agnos, hædos, interdum & porcellos lactenteis rapiunt, & certatim ad pullos afferunt. maior præda & copioſior ex agro, phaſiani, perdices, gallinæ ſilueſtres, anates feræ, nec non & lepores ac capreoli. paſtores vero, vbi auolarunt parentes, ſubito ad caua erepunt, & allata auferunt, pro iiſque pullo inteſtina animalium domo allata ſupponunt. quod tam cito facere non poſſunt, quin aut pullus partem aliquam aut ipſi parentes famelici iam deuorauerint. eo fieri vt truncata illa menſæ inferantur, ceterum optimi ſucci, & cui nihil eorum quæ in macellis proſtant, comparari poſſit. cum vero tandem in eo pullus eſt, quod tardius accidit, quia paſtu ſuo defraudantur, vt volare poſſit, tum catena nomas eum alligat, vt quo diutius in cauo hæret, eo diutius parentes præda alendo pullo compotent, quo vſque mas primum, dein femina nouo ſuperueniente amore penitus eius iã grandioris obliuiſcatur. tum nomas elanguidum pullum aut ſoluit, aut miſericordia tactus ad domum affert. & plena ſane erat domus eiuſmodi promorum, vt & vulturum, qui Aquilis ſunt grandiores ſed obſtipo capite & morticinia tantum ſectantes. id coram inſpicere voluit Thuanus, & difficili admodum aſcenſu ad locum adiuit, in quo pullus catena vinctus erat, vbi dum eſſet, mater aduolauit, tam late ſparſis alis, vt quaſi obortis tenebris cæli lucẽ eriperet, & phaſianum ad pullum hiantem attulit, ſubitoq. ad nouam prædam euolauit; quod dũ fieret, Thuanus & qui cum eo erant, ſe tuguriolo infra ſtructo abdiderant, vt impetum eius deuitarent. nam à ruſticis vulgo iactabatur pueros quoſdã nidis notandis & ſeruandis deſtinatos, qui ſe incautius aduolantibus obtuliſſent, infeſto roſtro & vnguibus diſcerptos fuiſſe. hoc ſubſidio ad rem familiarem vtebatur epiſcopus, eoque tantum eiuſmodi eduliorum trib. aut quatuor nidulationibus ſe paratum habere aſſerabat, quantum menſæ opiparæ onerandæ per annum fere ſufficeret. heic tridui mora facta; quo exacto per Cemenos montes admodum horridos Villafortium ventum, & Floraco & Anduſa ad dextram relictis in plana tandem ad Aleſiam deſcenſum, oppidum amœniſſimum ſed his bellis aliquantum deformatum. Inde Vticam vbi Schombergius aliquandiu decubuit ex itineris defatigatione, quod homo corpulentus præter morem per montium prærupta pedes incedere coactus eſſet. ibi de Matthæo Merula carminatoris lanæ filio, qui his bellis per inopinatas excurſiones inclaruit, & Mimato ac Gabalis magna damna intulit, multa cognouit Thuanus, & ex fratre eius adhuc ſuperſtite, qui crebro ad Schombergium itabat, quæ in Hiſtoriarum libris perſcripta. interim ad Henricum Momorantium prouinciæ præſidem miſſi, qui de ratione itineris cum eo Schombergij decumbentis nomine agerent; cum noua mandata ſub id à Rege veniſſent, quibus iubebatur Schombergius, quando per Sancij aduentum idoneæ eſſent in exercitu copiæ, & maiori exercitu parando pecunia opus eſſet, quæ non niſi ex Italia peti poterat, in Italiam, quæ iam proxima eſſet, antequam in Germaniam iret, tranſire, & pecuniam Florentiæ ac Venetiis quantam poſſet, ſumere: habebat in comitatu Heluetiorum tribunos, qui breuiori itinere ad ſuos per Allobroges & Sebuſianos tranſire cupiebant, quos vt commode dimitteret miſſus ad Franciſcum Bonam Diguierium Thuanus cum Antonio Moreto Realio, qui Nauarri legatus cum Schombergio venerat, vt pecuniam mutuam ab eo acciperet. per Monteſium Adæmari, Creſtum, Diam Vocontiorum tandem ad Mauri-podium ad Digulctium deducti ſunt, ſupra Vapincum, cui ille imminebat, & quod ei tandem à Paſquerio vicecomite, qui illud tenebat, deditum fuit. numerata Thuano duo aureorum millia, quibus ille acceptis alia via per Tricaſtinos, Nionium &

Grimanum

Grimanum Suſa ad læuam relicta redit ad Spiritus fanum, cui à ponte admirandi operis Rhodano impoſiti nomen, quo Schombergius iam ex infirmitate validus illum exſpectabat. inde traſmiſſo fluuio Arauſionem itum, vbi Regij magnifice ab Hectore Foreſto Blacono arcis præfecto accepti ſunt, diuiſaq. pecunia tribuni Heluetij dimiſſi; deīo Aueniōnē iuxta habuit iter Schombergius & Barbentanam venit Mondragonij arcem, vbi à loci domino benigne exceptus cum Bernardo Nogarerio Valeta Prouinciæ præſide cœnauit, qui caſtrum Reinardi in propinquo cum dedi poſtulaſſet, tormentis admotis locus poſtridie captus fuit, & præfectus laqueo ſuſpenſus. inde Valeta cum Schombergio Caualinnem venit ad Druentiam ſitum opidum in Venaſcinenſi comitatu, vbi ab loci epiſcopo Regij amice ac laute accepti ſunt. heic Valeta iter cum Schombergio diuidit, & mane Oraſoni marchio cum delectis à Valeta Schombergio attributus, qui eum in tutum deduceret. ad Merindolium ſumptum prandium, vbi mira initio, ſicut fore prædixerat Oraſonus, ſolitudo, incolis huc illuc per ſpelæa vicina ad armatorum aduentum dilapſis, qui vbi Oraſonum adeſſe intellexerunt, quod eum ipſis haud iniquum ſcirent, ſubito frequentes aduenere. de iis autem idem Oraſonus, quæ à Io. Sleidano ex Gul. Bellai Langæi, in cuius aut certe Ioannis Cardinalis fratris familia erat, relatione prodita ſunt, narrabat, homines eſſe ſimplices, in negotiationibus probos, magiſtratui obſequenteis, nemini iniurios, ab omni maleficio abſtinenteis, & qui iura ac penſiones, quas Regi dominisve debent, ſumma fide perſoluunt, ob religionem ſecum tantum neque cum aliis matrimonia contrahenteis, ita à Valdenſium & Albigeorum vbique poſtea exagitatorum temporib. ad hanc diem perſeueraſſe, eorum & reliquias Laurmarini & Cabrenæ ſupereſſe, & paſſim in Alpinis conuallibus; ipſos Merindolianos ad Epiſcopum Maſſilienſem pertinere, eique iura ſua religioſiſſime dependere, quæ Oraſonus minime à Sleidano didicerat, ſed ex fama per Prouinciam ſparſa memorabat. eodem die Cadenetum ventum Oraſoni arcem, in qua ſere habitat, ac poſtridie Manoſcam Hieroſolimitanorum equitū præfecturam, & tranſmiſſo Durentia inde Regium locum epiſcopali dignitate ornatū, vel Fauſti illius nominatiſſimi præſulis memoria celeberrimū. templū ſeorſum ab opido ſubiecto in colle poſitū, per hæc bella munitionib. & præſidio profanatum. in opido ex prouinciali nobilitate pleriq. domicilium habent, & in iis Turnouius Caſtellanus numeroſa & pulcra progenie felix, apud quem Schombergius hoſpitium ſumpſit, per Draguinianum tandē, quod ab Arcenſi regulo tenebatur, bidui itinere Forum Iulij ventum, vbi tridui tempus Tartanis apparandis, id ſcaphæ genus eſt, conſumptum. quibus paratis, & diuēditis equis Schombergius ad Raphaëlis fanum, quo naues appellere ab ea parte conſueuerunt, medio amphiteatro ſemidiruto, ſub veſperam cum toto comitatu ſoluit Kal. VI ſextilib. tamque proſpero vento vſus eſt, vt Lerinenſem inſulam & Antipolim prætervectus & in altū ad Vari oſtium reiectus Nicæam ſub auroram abſcōderit & ſub meridiem incolumis Monacum peruenerit. tota illa nocte nauſeam paſſus eſt Thuanus maxime vehementē, quam poſt multam euacuationem ſitis tanta ſecuta eſt, vt cum frigida illam ſedare ſperaret, pæne ſibi ventriculū ſubuerterit. vſu dein vini Corſi reſuſcitato ſtomacho iter perſecutus eſt cum Schombergio & ambo incolumes Genuam peruenerunt. legati Regij perhonorifice quamuis non ſine Hiſpanorum murmure à Rep. habiti, miſſis è ſuo numero qui aduentum gratularentur, & officiū omne Regi deferrēt, occulto in Regem regiſq. cauſſam fauore, & ita erat totius ciuitatis ingenium, vt ſucceſſus ei proſperos contra ſeditioſos optarent. cumque paullo ante Maſſilia nauis appuliſſet ſine Franciæ inſignibus, parum abfuit quin concurſu in eam facto ab infeſta plebe ſubmergeretur, nullumq. aduerſus furorem irruentium præſentib. remedium repertum, quam inclamatum à Maſſilienſibus Regis nomen & ſublata Franciæ inſignia, quo facto nec prius tumultus conquieuit. per quatriduum luſtrata vrbs à Thuano multo diligentius quam cum ante XV annos primum ad eam cum Paullo à Fuxo venerat, & dum incaute per æſtus illis in locis nimios niue in potu vtitur, malum nondum bene ſedatum in ſe renouauit, & lenta febre corripi cepit cum laſſitudine & inquieta membrorum infirmitate; heic Schombergius cum Thuano iter diuidit, & Florentiam incognito habitu proficiſci ſtatuit, vt de ſperata inde pecunia certius cognoſceret, & maiorem, quam promiſſa fuerat, ſi poſſet eliceret. Thuanus Venetias rectà tendere iuſſus, vt cum Andrea Huraltq Meſſio oratore Regio eadem de re ageret, & loco cōdicto in ea ditione ſe expectaret. adhuc de deteſtando Regis parricidio in Italia ignorabatur. ſuperato Apennino Dertonam venit Thuanus, quam dotalem poſſidebat Chriſtierna Danica Caroli Lotaringiæ ducis parens, & in ea tunc erat, & inde ſubito ſe in viam dedit, ac Placentiam vix in equo ſedens peruenit, luſtrataq. totum diem, dum ſe reficeret, vrbe & ampliſſimis cœnobiis in eà, poſtquam ad eam primum venerat, exſtructis, commodum accidit, vt cum equi ſucuſſationem amplius ferre non poſſet, ſecūdo Pado deinceps nauigio deueheretur, vſq. dum Venetias appulit; quo eodem die, hoc eſt XIIII menſis de Regis morte nuncius Mediolano veniens per vrbem ſpargi cepit, ſed adhuc incertus, quod a loco ſuſpecto veniret. ſed poſt triduum luctus ingens toto illo tempore in lætitiam ſubito mutauit, cum altero, quo de re conſtabat, nuncio, ſimul & conſtitit Nauarrum à nobilitate Regem in caſtris magno conſenſu ſalutatum; nam mox

De rebus noſtris priuatim Oſſate loquamur,
Compoſitis animis vulgo procul. omnia quid ni
Credamus, ſi credibile eſt fidiſſima quondam
Pectora corruptis nunc Regem moribus auſos
Occidiſſe ſuum probroſo vulnere Gallos?
Quid tamen ô ciues, ſi vos hoc nomine digni,
Quid patrato, inquam, profectum crimine tanto?
Principium vos nempe malis cauſſamque dediſtis,
Et quæ nunc inſtant, & quæ ventura trahuntur.
Id ne bono patriæ quondam potiuſue ruina,
Noſtrarum tandem decernet clauſula rerum.
Nam ſi venturo, nec mirum, à Rege timetis,
Carior hoc vobis præſens Rex debuit eſſe
Moribus antiquis & relligione probata
Cognitus &c. hinc poſt ducentos

circiter verſus, quos auctor penitè expetit, ad extremum conuerſo ad Henricum IIII ſermone hi ſunt adiecti,

Fatalis princeps, quæ te laudare merentem
Carmina digna queant, laudeſque æquare canendo?
Reſpice nunc Venetûm ad plauſus feſtoque ſonanteis
Murmure Medoaci ripas, totoque vocantem
Aequore te Benaci amnem. licet Auſonis ora
Coniurata fremat contra, fuſcaque tyrannus
Heſperiæ ſæuo clam miſceat omnia bello,
Cæca in te nullum poſtac ſors numen habebit.
Decretum ſic namque polo eſt, Venetique Senatus
Calculus augurium de te Rex optime firmat.
Hi nuper amiſſo ſermones principe & huius
Auſpiciis, longæua neant cui ſtamina Parcæ
Inter nos Veneta conſerti nuper in vrbe,
Dum perculſa graui mens æſtuat inde dolore,
Ambigit inde metu, cadem qui deinde futuri
Excipient caſus, quantique infamia Gallis
Et Chriſti Europen per totam hæc ſtabit onus:
Tandem pro iuſto fiducia certa dolore
Vltima ſuccedit, qua plenus vterque ſecundos
Euentus poſt tot ſæui diſcrimina belli
Speramus, firmamque pio ſub Rege quietem.
Tu Romam interea ſeptem geminoſque reuiſis,
Anxius euadet quorſum res Gallica monteis,
Ad latus adſidue Ionſæ hæſurus & aurem.
Per Rhætos ego & Heluetios mediaſque per igneis
Bellorum patriam repeto miſeroſque penateis,
Henrico properans ma carita ſoluere iuſta
Fidus hero dominoque etiam poſt fata miniſter:
Cetera ſecurus, vulgi quod inane frementis
Dira paret rabies, quid iniqua mente tyranni
Secum agitent cælo certantes more Gigantum.
Quippe animo fixum ſedet immotumque tenaci
Propoſiti quoſuis conſtanter ferre labores,
Quicquid & aduerſi patientibus imminet extra,

Dum ne intra vllius ſibi mens male conſcia culpæ
Ingenuum occulto ſuggillet teſte pudorem.

Inde vtrimque diſceſſum eſt; Thuanus Patauium receſſit, vbi dulciſſima Io. Vincentij Pinelli, quem ante $\overline{\text{XVI}}$ annos non viderat, ad aliquot dies dulci conſuetudine frui potuit, atque imprimis Pauli Aicardi Genuenſis quem ille domeſticum habebat, hominis lectiſſimi & in re literaria integerrimo iudicio præditi. luſtrata per otium illa inſignis & tot annorum & continua cura bibliotheca congeſta, & Aicardus, qui verſionem Baſilij & aliorum de S. Trinitate Patrum cum Phoebadio epiſcopo Aginnenſi editorum ſummopere probabat, Thuano ipſum hereſiarchæ Eunomij librum manu elegantiſſime ſcriptum donauit, vt eius collatione & Baſilij iam editi & Gregorij Niſſeni, qui expectabantur, libri $\overline{\text{VII}}$ corrigerentur & lucem acciperent. multa, & à Pinellio de viris doctrina in Italia claris, quorum nomina paullatim in obliuionem cadebant, ſtudioſe percontatus eſt Thuanus, ea mente, vt eorum memoriam in Annalibus celebraret, quod poſtea ſedulo fecit; nec Hiſpanus ſua laude fraudauit; adeo virtutem & doctrinæ excellentis decus vbique nullo nationum diſcrimine admiratus eſt, & quantum in ſe fuit, ſine liuore poſteritati commendauit, eaque re fiduciam ceperat, fore, vt æquiores Italos & Hiſpanos eſſet habiturus. verum ſpe ſua falſus nullam maiorem quam ab ipſis ingratitudinem expertus eſt. Interea Schombergius, qui Florentiæ erat, poſt caſum reuocato Guicciardino equite, qui pecuniam delectibus habendis deſtinatam ſecum vehebat, Mantuam venit, conſilium cum Andrea Huralto Meſſio Regio apud Venetos oratore capturus, eo euocauit & Thuanum, & deplorata communi calamitate ambo Veronam profecti ſunt, quo cum veniſſet Meſſius, inde rurſus Mantuam ſimul repetiuerunt, habitoque cum Vincentio Duce in arcano colloquio inde diſceſſum eſt, & Veronam reditum, vnde Meſſius Venetias ad ſua ſe contulit. Veronæ luſtratæ ædes Beuilaquæ comitis ſtatuis antiqui operis ac nummis & tabulis excellentiſſimorum pictorum ornatiſſimæ. ipſe præter harum rerum non vulgarem amorem ſummo Muſices ſtudio tenebatur, inſtituerat que domi conuentum muſicum qui ter in hebdomade celebrabatur, in quo plus $\overline{\text{XXX}}$ ſiue cantores, ſiue organorum variorum periti ita ſeſe exercebant, vt in tanta vocum, diſſonorum & inſtrumentorum diſcrepantia mirus & auribus gratiſſimus concentus exiſteret, ei aliquoties interfuit Thuanus, & cum ipſo Beuilaqua homine graui, ſed humaniſſimo ſermones variis de rebus habuit, eo minus familiareis, quod cælebs & inclinata iam ætate cum de rebus ſuis Romam transferendis cogitaret, minus Nauarri partibus æquus putabatur, in quas alioqui totius ditionis Venetæ populi aperto fauore propendebant. tandem poſt aliquantulam Veronæ factam moram, Thuanus iter cum Schombergio, vt alias, diuidit. ille per Tridentinas Alpeis in Germaniam contendit. ipſe per Brixiam, & Sebinum lacum, Bergomo & Clauenna ad læuam relictis, in Rætiam deſcendit, & amœniſſima illa Valtolina, & quod mirum inter Alpeis, vino generoſo nobiliſſima decurſa, in qua ad Tiranum prandium ſumpſit, Poſclauium venit, ſuperatis aſperis admodum montibus atque adeo Abnoba, ex qua Rhenus horrendo cum fragore præceps prorumpit, Curiam Rætorum epiſcopali dignitate ornatam ciuitatem acceſſit, templum etiam admodum humile & neglectum haut longe ab vrbe luſtrauit, quod principatus titulo qui tenent, ſatis habent per abſentiam nomen tueri & vectigalibus frui, paſtorale munus de cetero inſuper habent, quod inter Proteſtanteis, quales fere ſunt tres illæ fœderationes, in magnum contemptum abiit. ibi cum certiora de rebus Gallicis cognouiſſet, (& proſpera fere vbique nunciabantur) vaticinium Sequanæ, eodem impetu, quo carmen ad Oſſatum, Illuſtriſſ. Cardinalis Ioiùlæ præſagij memor, effudit,

VATICINIVM SEQVANÆ.

Nuper cum furijs actus & impio
Mentis propoſito triſtia conſcia
Vrbis mœnia Clemens
Infauſto pede linqueret,
Feraleis gemitus corde ciens caput
Turbatum medio ſuſtulit alueo,
Incumbenſque iacenti
Vrnæ Sequana transfugam
His vrget monitis. quo properas miſer
Tantum auſure nefas nomine Gallico
Indignum, atque fideli
Reges obſequio in ſuos?

Qualem

Qualem hoc principium ducat ad exitum,
Si certæ obiicias vile caput neci,
Indutumque cucullum
Et te quid deceat, vide:
Aut ſi hæc nil animum ſollicitant tuum,
At ſaltem ſocios reſpice ad ordines,
Omneis crimine tecum
Quos vno peragis reos.
Vulgi quantus amor ſeditionibus
Olim, tantum odium ſurget, & improbos
Suaſores inopinus
Damnabit populi furor,
Cum ſpem præter atrox ciuibus ingruet
Secum dira trahens fata neceſſitas,
Et penuria rerum
Ignauos premet omnium.
Tunc icti ſapient, ſero ſed heu! Phryges,
Et ſparſis nimium credula vocibus
Plangent pectora matres,
Circum templa ſenes gement.
Sed fruſtra moneo. fraude nefaria
Mandatum miſero ſtat ſcelus exequi,
Occiſoque ſuperbam
Vrbem euertere principe.
O quas frugifero terra caput ſinu,
Princeps atque parens & domina vrbium,
Muſarumque tribunal
Quondam cara, Lutetia,
Nunc ſpelunca Cyclopum, arx Polyphemia,
Antæ latebra, Antiphatæ teges,
Et Læſtrigonis antrum,
Bebrycisque Amyci ſpecus,
Quæ te ſæua manent prælia ſub nouo
Herede imperij, perdere quem male
Dum conſulta laboras,
Ad Regni ſolium euehis?
Mergas, altior hinc hoſtibus imminet:
Sæuo marte premas, fortior emicat:
Victus cumque putatur,
Rurſus bella redintegrat.
Et iam ficta in eum tempore dilui,
Hoſtileisque dolos cedere proſpere,
Conuerſaque reflecti
In te tela acie doles.
Mens cæca eſt hominum, dum leuioribus
Vertunt terga malis, in grauia irruunt
Stulti pectore aperto,
Et contrarius exitus
Priuat fine ſuo cepta nocentium,
Tandem iuſta piis præmia diuidens:
Decretamque merenteis
Pœna in perniciem trahit.

Quanquam nulla animum iniuria Regium
Tangat, nulla animum exerceat vltio,
Ignoſcatque libenter
Victor ſupplicibus reis,
Obſtant fata tamen, ne reſipiſcere,
Cum tædere furorum vtile ſit, queas,
Rectiſque obſerat aureis
Iratus monitis Deus.
Largis quippe bonis vndique diffluens
Prauis dona Dei moribus inquinas,
Arto teque piaculo
Patratum ſcelus obligat,
Mactatis toties hoſpitibus ream,
Quorum nunc animas iure ſuo Deus
Effuſumque repoſcit
Per periuria ſanguinem.
Nil Regi & patriæ debitam Iberico
Obſtrinxiſſe fidem fœdere proderit:
Fruſtra miles ab altis
Exſpectabitur Alpibus
Mendax: inſtat enim Vaſco ſuburbiis
Captis rurſus, & vltricia ſpargere
Late incendia gaudet
Regis morte ferocior.

Curia digredientibus ante ſolis ortum & tempore pluuioſo conſcenſum a biegnum nauigium ad lacum proximum, cuius natura ea eſt, vt cum inter altiſſimos & vndique præruptos montes claudatur, quod in Benaco euenit, ventis incumbentibus periculoſe agitetur, & naufragium tranſeuntibus minitetur, à quo Thuanus & qui cum eo erant parum abfuerunt, eoque maiore diſcrimine, quod ſumma imprudentia vector Germanum cum equo admiſiſſet, qui vndarum ſuccuſſatione territus cum plerunque poplitibus poſterioribus ſuccumberet, nauigium pene euertit, & cum nuſquam appulſus eſſet, creſcente ſemper vento & imbre ſaxumque continuum immenſa altitudine qua proxima erat terra, pro ripa appareret, in ſumma deſperatione cuncti verſabantur, clauo à gubernatore abiecto, & vt quiſque ſaluti conſuleret, admonente. erat cum Thuano Nic. Rapinus Nicolai, qui & ingenio & virtute per hæc bella ſatis inclaruit, filius, adoleſcens ſummi animi & natandi peritiſſimus, qui abiecto thorace & interiore tunica vltro paratum ſe in lacum deſilire oſtendebat, & Thuanum, vt ſe ſequeretur, & humeris prenſum fortiter teneret, hortabatur: ſic enim fore, vt aut prior ipſe mergeretur, aut incolumem ſecum in ripa, quo primum daretur appellere, ſiſteret. cum in eo omnes eſſent, & ſola in cæleſti auxilio ſpes ſupereſſet, ſpecus in rupe excauatus eminus apparuit, quo iuſſus vector nauigium iam aqua penetrante fluitans dirigere, annitentibus qui vehebantur & remis aduerſus ventum certantibus, tandem ſocij vt erant imbre madidi ſaltu in breuia proxima deſcenderunt, cum oneribus, quæ quiſque portare potuit, certi vel crurum tenus in aqua citra periculum manere, quouſque tempeſtas deſæuiret. ſed accidit, vt rupem intra actus quaſi per gradus in ſaxo ſculptus ſit repertus, per quem vt erant ocreati & palliati ſumma alacritate, quanquam arduus eſſet aſcenſus, ad hæc imbre & vento infeſtarentur, omnes per milliaris ſpatium in ſummum euaſerunt, & in via currum à bobus tractum per præcipitium illud deſcendentem obuium habuerunt. in ſummo haut hinc longe hoſpitium erat, in quo hypocauſtorum beneficio ſiccatis ſubito veſtimentis, ſuperueniente poſt tam præſentis exitij metum inſperata lætitia, moleſtæ viæ labore non parum recreati ſunt. poſt prandium cum equi per deuium illud iter deeſſent, ad diuerſorium, quo pernoctaturi erant, ad caput lacus Tigurini duobus abhinc milliaribus per vias luto corruptas pedibus erepſerunt, quanquam per lubricum labentibus vbique veſtigijs, nemine de itineris difficultate ob recentem præteriti periculi memoriam querente. inde ſerenitate reddita nauigio per lacum amœniſſimum bidui itinere Tigurum deuecti ſunt. iuuit heic videre principem iam à primis

tempo-

temporibus Heluetiorum ciuitatem, quæ pleriſque viris doctrina claris abundauit; ac præſertim Conradi Geſneri & Gaſparis Volfij cunabula, quæ ſuperabant admodum exigua, & Ioſiæ Simleri luſtrauit Thuanus à Io. Gul. Stukio homine humaniſſimo & noſtris partibus maxime addicto vbique deductus. inde Solodurum ventum, quo Thuanus cum acceſſit, paulo plus 100 paſſibus Nic. Brulartum Sillerium oratorem Regium ad tiliam in via ſedentem inuenit, quem nec opinato conſpicatus ſubito cum ſuis ex equo deſiliit; & in amplexus viri amiciſſimi ruens artè complexus eſt, indeque in hoſpitium deductus aliquot dies cum ipſo fuit. tunc calebat negotium fœderis à Bernatibus cum Sabaudo initi: quod ſi à populis ditionis illius ratum habebatur, quod ſolléni ritu per iuramentum fit iiſdem per præfecturas congregatis, res noſtræ magnum accipiebant detrimentum. id Quinque pagici auro externo corrupti vrgebant, ad quos ab Henoticis miſſus erat Leo Scotus Claromontanus Senator Pariſienſis, cum quo arcta erat Thuano amicitia; itaque dum res penderet, commodum viſum Sillerio, vt opera Thuani vteretur, & condicto cum Claromontano colloquio negotium, ſi qua poſſet, mora interiecta diſturbaret. verum aliunde ſine eius interuentu auxilium affulſit, paſtoribus, qui fœdus illud maxime improbabant, in Valeſienſi præfectura per côciones ita populum animantibus, vt aduocati, qui à ciuitate ad ſacramentum ab illis exigendum venerant, non ſolum re infecta diſceſſerint, ſed fuga ſubita ſaluti ſuæ conſulere neceſſe habuerint; in quos & tenuerunt illi, vt tanquam perduelleis & læſæ maieſtatis reos legibus inquireretur. id magna ſollicitudine Sillerium liberauit, eo ſalutato Thuanus Iuraſſo monte ſuperato Baſileam venit, adductis ſecum Heluetiorum tribunis, qui Arauſione Schombergium reliquerant, & rebus domi confectis in caſtra ad nouum Regem ſalutandum redibant, Nic. Harlæo Sancio poſt Henrici III obitum remiſſo in Germaniam ab eius ſucceſſore, vt nouos delectus haberet, inter arma Theodoto Zuingero & Baſilio Amerbachio cum quibus Thuanus amicitiam ante decennium coluerat, viuis iam exemptis, Iacobum Gryuæum Simonis illius magni gentilem, aliquoties Sleidani hiſtorias publice prælegentem audiuit, ad quas ille multa ſingularia & ſcitu digna, quæ Sleidanum fugerant, ex familiari, quam in aulis principum Germaniæ habuerat, notitia hauſta addebat, & elegantiſſime explicabat. inde per Sequanos, qua caute inceſſum eſt, in Lingonas deſcenſum, vbi noui Regis nomen ſummopere vigebat, P. Ruſſardo vrbis prætore Ludouici, cui iuris ciuilis potior ſcientia ſecundum Duarenum tantum debet, gentili omnia ſumma faciente, vt factio Henotica illis locis profligaretur. Andomato, quod eſt ciuitatis Lingonum vetus nomen, per Arcam Barrenſem Villani caſtrum itû, a cuius obſidione hoſtes ante paucos dies cû damno repulſi fuerât, in eoque erat Ludouicus Diacetus loci comes, vt ruinas farciret, & præſidio valido opidum firmaret, quod ſolum poſt Catalaunum inter Lingonas & limitem Regiis ad iter ſecurum patebat. erat arcta Thuano quaſi à parente tradita cum Diaceto amicitia, itaque & ille Thuanum detinuit, dum præſidium ordinaret, & multa cum ipſo, qua erat prudentia; quæ Regem ſcire oportebat, in arcano contulit. ſic autem exiſtimabat eo tandem res recaſuras, vt imperium penes legitimum heredem, hoc eſt, Nauarrum, maneret. aduerſa pars quæ fauore plebis in dies nutantis & externis opibus nitebatur, ſubeunte ducum ſuorum ob belli diuturnitatem faſtidio mox concideret, & victori reconciliata prorſus euaneſceret: dum duces præſidij recenſerentur, ominoſa vox illi excidit: nam cum de P. Choeſeho Moſa, qui in opido tuendo ſtrenuam nuper operam nauauerat, altercaretur, eum admitti nolens, vbi eum commendatione quorundam, quibus contradicere minime æquum cenſebat, admiſſum vidit; non temere factum dixit, vt tandiu contra pugnauerit. ſiquidem futurum prouidere, vt ab homine rixoſo ingens ſit accepturus infortunium: is eſt, qui Diacetum poſt quadriennium rixa ex verbis contumelioſis ſuborta interfecit. itaque cum primum de illo ab vno ex præſidiariis ducibus occiſo, coram Thuano in aulam allatum eſt, ille ſubito id quod erat animo coniectans, antequam nomen ederetur, ominoſæ illius vocis memor Moſam nominauit. compertoque ſtatim ita rem habere, interrogatus quomodo diuinaſſet, id ab illo ante quadriennium audiuiſſe retulit, cunctis mirantibus Diacetum diu ante tam certo de ſuo infortunio vaticinatum eſſe. habebat ille in matrimonio Annam Aquauiuam Hadrianenſium ducis in regno Neapolitano filiam probæ ac generoſæ indolis feminam, quæ cum filio filiaque ex ea ſuſceptis Andomarum, quæ eſt Lingonum metropolis manebat, quo & ille pretioſam maxime ſupellectilem transferendam curauerat, quæ poſtea diuendita fuit, pecunia ad belli ſumptus Regi commodata. ſexagenario maior ſed firma admodum valetudine, cum deliciis à multo tempore iunior abſueuiſſet, tunc in cubiculo maxime illuſtri per hiemem pernoctabat, & in lecto ſine velo & plagulis dormiebat, neque vllam aut à ſerotino ac matutino frigore aut à nubiloſo aëre ex eo incommoditatem ſentiebat, quaſi Deus illi, ſicut ipſe aiebat, pro tempore robur largiretur: & cum hoc dicebat, ſumma conſtantia & priſtinæ nimiæ copiæ faſtidio dicere videbatur, & potius præſenti regno, quam ſibi otium optare, eaque ſe ſpe dum ſuſtentat, quicquid damni domeſticè accideret, ferebat, & porro ſe paratum ferre oſtendebat. tandê Thuanus Villani caſtro cû Heluetiis tribunis digreſſus per Vâdeureû & Pugiû Lucemburgiorû caſtella iter fecit,

ipſumque Franciſcum Pinei ducem, qui Romam proficiſcebatur, obuium habuit, cum quo aliquandiu collocutus, quid Florentiæ, Venetiis, Mantuæ, ac denique apud Heluetios nuper actum eſſet, expoſuit, inde Pugium venit ab Henrico filio decenni perhonorifice cum toto comitatu exceptus. ſub idque Catalaunum acceſſit, quo Robertus à Loüſa Granprati comes per triduum fortiſſime cum Sanpaullo dimicauit, & victoriam ſuam morte præmatura ſanciuit, quam carmine hoc Epitaphio extempore deplorauit.

Miſta liguſtra roſis & lilia ſpargite ciues
Ad tumulum? tumulo huic debita veſtra ſalus,
Per triduum extracto certamine Granpratenſis
Aſſeruit patrios victor ab hoſte lares;
Non propriã aſſeruit vitã, quam vulnere multo
Proiecit veſtris ſaucius in gremijs.
At vos ô ciues, tuque vrbs Catalaunia gaude
Manibus inuicti facta beata ducis,
Nunc tutelari illius requieſce ſub vmbra,
Cuius te toties texit amica manus.

Ibi de Fara Veromanduorũ cognitum, in qua totius pretioſæ ſupellectilis, ſicuti iam diximus, iacturam fecit Thuanus, quam multo patientius tulit, quam iuuenum illuſtrium & ſibi amiciſſimorum mortem, de quibus ſtatim dicemus. Catalauno Theodorici caſtrum itum ad Matronam, quæ in Sequanam influit, & ſecundum Sequanam ipſam Lutetiæ populoſæ adeo vrbis copioſiſſimam annonam infert. ſub veſperam ingreſſus opidum Thuanus cum tympanum propter cuſtodiam nocturnam pulſaretur, inter armorum ſtrepitum in via obuium habuit Petrum Picherellum Firmitate Auculphi in proximo natum & in Eſſomenſi cœnobio olim monaſticam profeſſum, hominem trium linguarum peritiſſimum & acutiſſimi iudicij, qui Io. Varablo olim cum Io. Salignaco & Io. Mercero operam nauauerat, qui prenſum habenis equum ſiſtit, ad quem repente conuerſus Thuanus, cum ecquid inter arma ac tubas iſtic locorum ageret, percontaretur, ille & diuerſorium ſuum in proximo oſtendit, & ea die XIIII horis obfirmatis contra ſtridores & horrores auribus dixit, qua & annum ætatis LXXIX clauſerit, & finem elaboratis in B. Paullum commentariis impoſuerit, abſoluta ad Philemonem epiſtola, iamque omnia deſcripta habere, prælis cum commoditas ſe offerret, committenda, quod vt contingeret pro votorum ſumma exoptare; ſe iſtius ætatis nullam adhuc corporis magnam debilitationem, oculis & auribus integris valere, mentis priſtinam vim ſeruare, ſed vt iuuenibus multa accidere certum ſit, quæ ipſos ſeneſcere non ſinant, ſic certiſſimum eſſe ſenes diu viuere non poſſe. huic Thuanus poſt elaboratos in B. Mathæum & Lucam commentarios auctor fuerat, vt in Paullum ſcriberet, & ille eo auctore munus iniunctum alacriter ſuſceperat; quod in eo interpretandi genere paucos admodum digne ſe exercuiſſe arbitraretur. nam extra cauſſam religionis diligentiam Th. Bezæ laudabat; ſed poſt eius meſſem magnum ſibi & aliis ſpicilegium relictum dicebat. ſed mala ſorte accidit, vt haut multo poſt placidiſſima eius morte ſecuta res omnis ad heredes deuenerit, homines litigioſos, qui dum ſe Cadmea victoria vtrinque conficiunt, pretioſam illam auunculi ſupellectilem diſſipari & in manus alienas tranſire paſſi ſunt, à quibus vix ſpes eſt vt redimi & ad publicam vtilitatem prodire poſſint. ad cœnam à Combliſij vicecomite Cl. Pinarij F. vocatus Thuanus didicit de ſuburbiis Lutetiæ à Rege captis, tum interpoſito de rerum ſtatu ſermone inter ipſos conuenit, ſi vrbs arctius obſideretur fore, vt breui ad ſummas anguſtias & deditionis neceſſitatem penuria annonæ adigeretur. ad idque non paruum momentum arcem, in qua tunc erat, allaturam, quippe per quam copioſa annona Lutetiam importari conſueuiſſet. nam Meldos qui infra ſunt, & ab Henoticis tunc tenebantur, etiam ſi frumento abundant, non ſuffecturos, adempto ex ſuperioribus locis adueniente commeatu. ea re arcem illam & Catalaunum valde opportuna Regi eſſe, eoque diligentius curandum eſſe præfectis, ac cauendum ne quid illac tranſitu conceſſo importetur. quibus dictis cum bene animatum Combliſium videret, mandatis inſuper acceptis, vt de loco validiore præſidio firmãdo cum Rege ageret, poſtridie Thuanus diſceſſit, & per Latiniacũ facto itinere, quod Iacobus Laſinius, de quo poſtea plura dicenda erunt, Regis nomine tenebat, ac ſupra vrbẽ continuato itinere Mõfortiũ Amalrici ventũ: cũ iã Rex Stãpas poſt ſuburbia capta veniſſet, & arce dedita in Carnutes cũ exercitu deſcendiſſet, Mõfortio per Nogentũ regiũ, Vdancũ, vt Autricũ, quod ab Henoticis tenebatur, vitaret, flexo per Aulercos itinere Frazaeũ ventũ, & cũ poſtridie iuxta Caſtrum nouũ in Thimerenſi agro per noctis tenebras, nã interdiu periculoſũ erat, iter facerẽt, bis ad arma conclamatũ, cunctis quaſi hoſtis adeſſet arma expedientibus: tandem periculi metu diſcuſſo, cũ Regios eſſe conſtaret, qui corpora illuſtriũ duorũ adoleſcentum ad ſuos deducebãt, luctus ingẽs metũ exceſſit, & Thuanus vltra quã dici poteſt cõmotus in lacrimas ſe dedit, &

quantum

quantum per dolorem licuit, his verſibus vtrumque extempore deplorauit. prior currus fuit obuius, quo Ludouicus Roanus Monbazonij dux vehebatur. in eum hæc pauca ad Areten directo carmine effudit,

Flere tuum non eſt Arete, ſed ſoluere crineis
Te modo & attritas vngue rigare genas
Vidimus & curuis contundere pectora palmis
In Monbazonij funere Diua tui.
Scilicet ille Deus, Diis certe proximus heros:
Et decet heroum morte dolere Deos.

Summa Thuano cum Monbazono intercedebat & voluntatum & conſiliorum conſenſio, tantumque in illuſtri illo adoleſcente pietatem minime ſiccatam, tantum recti & honeſti ſtudium, tantam erga patriam & nomen Gallicum caritatem animaduertit Thuanus, vt qui raras adeo dotes in primariæ nobilitatis hominibus hactenus requiſiuerit, nec repererit, non poſſit non eius qui illis ornatus ſit, amiſſione non maximopere dolere, & ſane teſtari poſſum nunquam eius mentionem incidiſſe, quin ſimul & lacrimas ipſi excuſſerit, vt mirandum non ſit ſi recenti adhuc ſenſu hos pauculos verſus inter ſuſpiria ac ſingultus dolor ab eo expreſſerit. vix hora abierat, cum alter currus tranſeuntibus obuius factus eſt, quo Ioſiæ Rupifulcaudij Comitis Ruſſij pugna Arcuenſi VII. Kal. VIIIbr. occiſi corpus iodem vehebatur, is proxima cognatione Condæi liberos ex Helionora Roia ſuſceptos contingebat, quippe ex Carlota altera Helionoræ ſorore prognatus, ideoque ſumma familiaritate cum Carolo Vindocino Cardinali vixerat, in eoque conuictu Thuanus, qui cum Cardinali adſiduus erat, certiſſimam cum eo amicitiam contraxerat quam & hoc carmine ex tempore tunc inter equitandum teſtatus eſt,

Ruſſius vt cecidit, fleuere leposque iocuſque
In Geticum audits dicere multa Deum.
Improbe Mars noſtrum potuiſti perdere alumnum,
Pro iuuene & blandæ nil valuere preces?
Cui feſtiuam hilaris ſoluebat gratia frontem
Atticacus linguam melle rigabat apis.
Cernere eum coram vel certe audire tuliſſes?
Imbelli hærebant irrita tela manu.
Sed tu luminibus ſub caſſide torua tuentem,
Spirantemque auido pectore & ore minas
Oppreſſiſti ideo iuuenem trux belliger, iram
Flectere ne poſſet fronte vel ore tuam.

Erat feſtiuiſſimus, & alioqui virtute præſtans, quod vtrumque in Rupifulcaudia familia gentile eſt, & Franciſcus pater eius, qui in tumultu Pariſienſi ante XVII. annos occiſus fuit, eo nomine Carolo Regi gratiſſimus fuerat: latine commode loquebatur, Italicam linguam perfectiſſime callebat, & ſingulas eius dialectos pro ratione perſonarum & geſtu & voce imitatione mira referebat, itaque in priuatis ſeceſſibus cum cognato Cardinali, quibus fere Iacobus intererat, tanta ſuauitate familiareis amicos perfundebat, vt omnes in cachinnos effunderentur, cum ipſe nunquam rideret. tandem Caſtelloduuum Longouillanorum patrimoniale in agro Dunenſi oppidum ventum, quo iam Pataeo, cui præſidium impoſuerat, Rex venerat, quem Thuanus ſalutauit ab eo perbenigne exceptus & de rebus Italiæ & Germaniæ ac Heluetiicis plene edocuit, & iam tum de Mariæ Mediceæ coniugio, quod feliciſſimis auſpiciis decennio poſt contractum eſt, mentionem iniecit, Ferdinandi magni Etruriæ ducis propenſam in illud voluntatem oſtendens. erat commune Senatus Veneti ac ceterorum Italiæ principum qui Regis Hiſpaniarum magnitudinem merito ſuſpectam habent, votum, vt Rex, quod poſtea fecit, maiorum religionem profiteretur, neque tamen illum eo rerum ſtatu ſibi deſerendum exiſtimabant, ſed voluntates præmature renudare Regi inutile ſibi vero intempeſtiuum ac periculoſum ducebant; itaq. eum modica pecunia clam, cum aperte non poſſent, iuuabant, eum adſidue exhortantes vt quod ſe condicionibus certis facere paratum oſtendebat, citius faceret. quibus expoſitis, in eam rem longus à Rege habitus ſermo, cum ſe à prouidentia diuina ad illud faſtigium præter ſpem ac votum euectum diceret, ad quod alij violatis legibus ac per præcipitia feſtinant. vidiſſe ſe in Regia familia IIII ante ſe, quorum tres ordine regnauerint nullis relictis liberis, quartũ ad regias opes incredibili felicitate perueniſſe, quibus quod abuſus fuerit, nec grateis Deo, quas debuerit, pro tanto beneficio dignas perſoluerit, antequam regnum inire poſſet, concidiſſe; eo ſibi maiore cura enitendum, ne ſimiliter ingratitudine peccet, eandemque orbitatis pœnam ſibi luctuoſam, regno detrimentoſam experiatur. cauſſa religionis vbique tantopere per odia potius quam per caritatem Chri-

ſtianam agitata ſe præcipue angi, nec pertinacem adeo in doctrina, in qua educatus fuit & quam hactenus tanquam ſalutarem ſit amplexus, futurum; nec abnuere quin melius inſtructus, quod melius ſit, ſequatur. ſed optare vt non vi nec coactus, ſed ſponte & quaſi manu ſi-cut i ad regnum, ſic & eo ducatur; inſuper optare, vt non ipſe ſolus, ſed multi in regno & extra regnum, ſi fieri poſſit, ſuo exemplo inſtruantur. id recepta in Eccleſia ratione per Cócilia commode & legitime fieri poſſe; ſi Oecumenicum cogi iam cito nequeat, per nationale, aut ſi nec illud queat, per collationem. vitæ ſe pretio impoſitam belli neceſſitatem redimere paratum, vt tot innocentium capitum, quæ per hæc plus quam Cadmea prœlia exhauriantur, ſanguini parcatur. ſe Regia tot ſeculorũ atque adeo ætatum familia ortum, ſuam cum tot nationibus potentiſſimis cauſſam coniunctam non ita deſpici ac contemni debere, vt non ſua cauſſa fiat, quod toties in Eccleſia magno cum fructu vſurpatum fuiſſe conſtat. vilemne adeo animam ſuam apud æquos rerum æſtimatores, vilem tot animarum ſecum tota Europa periclitantiũ ſalutem futuram, vt non potius ratione, quam periculoſa belli alea ſecũ agi, dignum ac iuſtum exiſtimetur? quem ſcire, an ipſe à Deo ſuſcitatus ſit, vt eius occaſione ac periculo paci Eccleſiæ conſulatur? id vt ſit & accidat, ſe credere ac vouere. interim nemini vim, quam ſibi afferri nolit, ſe allaturum, & quod auſpiciis regni iurata mente promiſerit, religioſe ſeruaturum, vt religionem C.A.R. ſartam tectam tueatur, eius profeſſores præcipuos circa ſe habeat, alios ab iniuria defendat, vniuerſos cum regni cauſſa ſaluos capiat, hæc velle vt omnes intelligant, ſibiq. perſuadeant ſe minime ambitione bellum gerere, ſed legitimam ſucceſſionem iure delatam cernere, vt tot populorum, qui iugum externum exhorreſcentes, ſe tanquam debitorem appellent, ſecuritati ac tranquillitati conſulat. ni faciat, meritò verendum eſſe, ne non ſolum in ætatis ſuæ, ſed poſteritatis reprehenſionem incurrat, quaſi quod à virtute ſua cuncti expectant, per ignauiam ac diſſimulationem perire paſſus ſit. hæc & multa alia ab efficaci eloquentiæ principe addita cum lacrimis, quibus & affectum interiorem verbis reſpódere, & ex animi ſentétia loqui cóteſtabatur. ad motus interea ad Vindocinũ exercitus, cuius gubernator à Rege olim impoſitus Regi deceſſori ac Sueſſioni pro eo ſpódenti fidem datam fefellerat, & magni conſilij aſſeſſores, qui in vrbe tépore comitiorũ ius dicebát, oppreſſerat; tum vero cum ſe nec ſtrenue ad defenſioné pararet, nec de deditione interpellatus ſerio reſpóderet, capta ea captus & ſupplicio ſtatim adſectus eſt cum Roberto Cheſſæo Fráciſcano, pro quo ſumma omnia fecit Thuanus beneficio obſtrictus, vt eũ periculo eriperet. ſed in expugnationis æſtu dum Rex extra vrbem eſſet, Birono ſummá rerũ in ea adminiſtrante, cum illuſtri loco natus gubernator ad ſuppliciũ duceretur, parũ valuere preces pro vilis condicionis, vt petebatur, homine, in qué, qui gubernatorem exoneratũ cupiebát, defectionis inuidiá reiiciebant. capto Vindocino Rex Cæſarodunũ venit, magnaq. gratulatione exceptus & Achilli Harlæo primario Senatus præſidi, qui paullo ante carcere emiſſus ad vrbé venerat, de ſumma iuris præfectura facta ſpe in caſtra rediit, copiis, quæ per Andeis & Caſtrum ad Ledũ in Cænomanos deſcenderát, iá ad Vindinũ prouinciæ caput admotis, quo dedito poſt incéſo ſummo Regis dolore & obſeſſorũ dedecore ſuburbia ampliſſima, rurſus Rex eundé cũ Thuano ſermoné reperũt, & ex occaſione habiti cũ Vincentio Duce Mantuæ colloquij, quo vt Niuernẽſi patruũ Rex cómédatũ haberet, enixe petebat, in eáq. ré literas ad ipſum Niuernẽſĩ dederat, cũ mádatus ad eũ miſſus Thuanus, qui ſermones cũ Rege habitos animo reputans & in ſucceſſus primis Regni auſpiciis tam felices inſpiciens inter equitandum, vt viæ tædium falleret, hanc odam exarauit, quam ſine cuiuſquam offenſione legi, & ad tempus, quo ſcripta eſt, reſpici Thuanus cupit, vt vel ex eo de moderatione eius & ingenio exiſtimari poſſit, qui cum iratis animis vtrinque cuncta impune dicere & facere licebat, tanto temperamento his de rebus ſcriberet.

Nutu Regentis cuncta Dei genus
HENRICE, *amicum cælitibus caput,*
Belloque ciuili ruentis
Præſidium columenque regni,
Succede faſci viribus integris,
Quem fratre adempto per ſcelus hoſtium
Deus patratæ cædis vltor
Impoſuit tibi ſuſtinendum.
Tu par ferendo, iam toties Deæ
Vertentis imis ſumma vices tuo
Periculo expertus, rotaque
Præcipitem variantis axem.
Qui ſceptra magni conſilio Dei
Regenda credis, totus & in Deum
Incumbis, aduerſisque ab vno
Rebus opem auxiliumque poſſit:

Haut

Haut ille caſſus ſpe cadet irriſa,
Nec vota ſurdis ſupplicia auribus
Commiſſa deluſus queretur:
Mille licet die inerme furtim
Incogitantis tela petant latus,
Illeſus ictus negliget impios:
Tectuſque lorica ſupremi
Numinis, intrepidas cohortes
Saluum explicabit per medias caput,
Et ſigna victor mœnibus hoſticis
Vellet, relucenteiſque ferro
Late acies domitor fugabit.
Præſentis in te rarum opifer Deus
Benignitatis iam ſpecimen dedit,
Cum nuper hoſteis ad marinam
Terruit innumeros Dieppam.
Paſſim per agros denſa equitum ſeges
Vndabat: heic pars facis Iberica,
Et Belga Germano remiſtus,
Iudicis & fugiens tribunal
Heic Transpadanus, qualis & abietum
Faſtigiato ſilua cacumine
Saltus per vmbroſos Pyrenes,
Montibus aut Benearni acutis
Pineta ſurgunt: ſic equitum arduis
Se turbo pilis horridus intulit
Campis ſuperfuſus, diremit
Tandem aciem, dubiumq. pugnæ
Dextro reſoluit principium exitu
Sequeſtra virtus, tot ſine ſanguine &
Sudore turpiter coactis
Verſa fuga dare terga turmis.
Vt iuſta vireis militis erigit,
Iniuſta frangit cauſſa, potentior
Igni coruſco, fulgetraque
Artifici quatiente muros.
Iniquitatis conſcia pectora
Mens teſtis atrox & pudor arguunt,
Nulloque terrorem inſequente
Cordibus incutiunt proteruis.
Hinc eſt, vt hoſtis plus nimio tumens,
Clauſiſſe cum ſe indagine copias
Ipſumque iactaret Nauarrum,
Nec miſero, niſi naue rapta,
Patere Regi crederet exitus,
Pæana dictum nec bene creditum
Turpi recantarit camœna:
Milite moxque minorem & armis
Exoticis tot conſpicuus ſagis
Sueſſionem expauerit obuium.
I nunc, & exactos triumphos
Spartacidum ſuper aſtra tolle;

VIRI ILLVSTRISS.

IAC. AVG. THVANI

REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII, ET IN SVPREMO REGNI SENATV Præſidis ampliſſimi.

COMMENTARIORVM DE VITA SVA.

LIBER V.

REBVS cum Niuernio tranſactis iam ineunte anno Thuanus ad regem reuertitur, qui poſt Vindinum deditum, eodem ſucceſſu Lauallum, Guntheri-caſtrum, Alenconium in Aulercis & Argentanum in Oximis in fidem receperat, & Faleziarum arcem partim vi partim benignitate ceperat, ac poſtremo Lexouium, vbi quid Nouioduni Heduorum actum eſſet, rex de Thuano intellexit, inde ad Humflorij obſidionem itum, in qua opinione diutius rex nec ſine periculo hæſit, quo rurſus dedito & circumpoſitis caſtellis propere caſtra mouet, vt Melunti obſeſſis ſuppetias ferret, & Thuanum inde Cæſarodunum amandauit cum literis ad Vindocinum Cardinalem patruelem, non ignarus quam non belli ſermones ab iis, qui circa ipſum erant, ſpargerentur, & iam per ſocias vrbes volitarent, quorſumque hæc pertinerent ſagacitate inſita veritus, enixe mandauerat, vt à latere eius & Sueſſionis fratris quam minimum diſcederet, ratus fore, vt quandiu ipſum audirent, tandiu prauis conſilijs aurem non eſſent adhibituri. ſoluta Melunti obſidione ad Drocum in Carnutibus caſtra poſita, mox ſecuta pugna Euriaca prid. Eid. Mart. commiſſa, cui quod paullo ante Cæſarodunum reuerſus Sueſſio non interfuiſſet, tantum dolorem cepit vt vix ſolatia admitteret, tantusque mæror is fuit, vt quartana xv menſium febre ob id vexatus vix tanto tempore eum ex animo delere potuerit in eam pugnam: cum omnia lætantium & gratulantium vocibus perſonarent, inter preces ac ſupplicationes publicas hæc luſit Thuanus *CIↃ IↃ XC,*

Euriaci in campis ſuperato fortiter hoſte
Debetur princeps gloria magna tibi.
Tu libertatem miſeris & nomina Gallis
Aſſeris ô regni cura ſaluſque tui.
Nam cum Francorum nomen delere pararet,
Liberaque inuiſo ſubdere colla iugo
Dirus Iber validis ſubnixus viribus & iam
Signa videretur cedere noſtra retro,
Primus in aduerſos penetras Henrice manip/los,
Inque fugam vertis qui modo victor erat.
Auſpicijs vulgo peraguntur prælia regum,
Perque duces illis gloria multa venit;
Tu vincis virtute tua, nec militis hæc eſt,
Iſta tibi propria laurea parta manu.

De eadem victoria & hoc in illo poëtico luſit.

Dicite Io, dextra Henrici victoria parta eſt,
Qua magis illuſtris non fuit vlla prius.
Teutones amiſſis tranſnarunt flumina curris;
Noſtrum eſt, Heluetijs quod ſua vita manet:
Traditaque & regis mox munere reddita ſigna
Dedecus exprobrant perfidiamque virûm.
Hiſpani atque Itali cæſi, fœdiſque ſuperbi
Villæ Lamoralli Belga cadauer habet.
Nulla ducis tanti iam non videt ora triumphos
Sparſaque virtutis tot monumenta ſuæ.
Quæ trepidum miles tanta de ſtrage ſuperſtes
Ferre pedem nequijt, nuncia fama volat,
Ac niſi diuinus me fallit opinio gnarum
Conſilij, magnum hæc omnia pondus habent;
Vnaque per cunctas victoria dedita terras
Vni terrarum deſtinat imperium.

poſtremo ad vrbem ipſam Turonum caput & tunc regni metropolim conuerſo ſermone hoc itidem carmen in ſoluta lætitia effudit

O quæ reliquias pio
Et delecta ſinu pignora Gallici
Vrbs complectere nominis;
Vrbs quondam Turonum per viridaria
Princeps, nunc caput & parens,
Francorum ditio maxima quæ patet.
Grates reddere numini
Properata tibi nunc tempus adeſt,
Puluinaria cælitum
Inſtaurare, vias ſternere floribus,
Vltro excipere obuijs
Euantes ſocios, lætaque tempora
Bacca cingere laurea.
Ceſſas? ô tibi quam pulchra dies adeſt,
Faſtos per memores dies
Creſſa digna nota, qua trepido anxios
Exſoluit proceres metu,
Læto mœſta beans pectora nuntio.
Hoſtis, qui modo laureas
Spondebat ſibi, qui præ tumido truces
Iras pectore dum coquit,
Exultabat amans credulam inanibus
Mentem paſcere ſomnijs:
Nunc verſa trepidus vice
Rebus perfugium quærit inops ſuis
Tot nuperque cohortibus
Succinctus, tot opum præſidio tumens,
Paucis vix bene caculis
Vix cingente latus tectus amiculo
Vno fugit ex altero
Exemplo eximio poſt venientibus,
Quam nunquam popularibus
Auræ ingenijs atque opibus, ſapit
Quiſquis fidere debeat,
Nunquam ſpes nimias credere lubrico
Fortunæ inſtabilis trocho.
Sceptrorum & dominandi arbitrium penes
Vnum ſcilicet eſt Deum,
Regnantum dominum, cuius & in fide
Reges regnaque ſunt, grauem
Faſtum terribilis frangere principum,
Inſani & populi minas.
Hinc ſceptra & trabeas, hinc titulos pete.
Non ſuffragia turbida
Plebis, non ſcelerum conſcia factio

Tantum conciliant decus,
Nec ſucata iuuat relligio impios.
Mendax quippe ſequacium
Spes & vota ſuorum ambitum irrito
Tandem decipit exitu,
Vmbra & ſomnium vt lumina tranſuolat.
At tu triſtibus hactenus
Curis ſollicitoque ægra ſilentio,
Conſtanti o celebris fide
Vrbs partam meritis ſume ſuperbiam,
Annis & redeuntibus
Sollemnem renoua more pio diem,
Quo feſſa ſua dignitas
Libertasque prior reddita Galliæ.
Sic nunquam rapidis Liger
Vndis oppoſitos diruat aggeres,
Sic prima ſub hirundine,
Cum nix aëriis ſoluitur in iugis,
Nunquam læta ſupernatans
Obducat ſterilis paſcua flumine.

Poſt pugnam Meduntа recepta; dein cum Melodunum reſiſteret, vi facta expugnatum fuit, & eodem curſu Nogentum & Braia ad Sequanam in fidem adacta, quo Thuanus regem victorem conuenit, & in eadem voluntate, qua cum ad Niuernium proficiſcens reliquerat, perſeuerare comperit. ſed armorum ſtrepitus, quo minus tam pia vota exaudiretur, fragore ſuo aureis henoticorum obſtruxerat. interim petita à rege venia per Latiniacum Siluanectum ad vxorem viſendam, quam toto anno non viderat, ire perrexit. fuit dein irrita ad Agendicum ad Igonnam obſidio, id Senonum ciuitati, in qua metropolitana hodie Eccleſia eſt, certiſſimum antiquitus nomen; eaque mox ſoluta, ne Lutetiæ obſidendæ occaſio præriperetur, propere in Pariſios reditum; vt vulgari dicterio iactaretur, regem à Droci oppugnatione deſtitiſſe, vt Euriacam pugnam vinceret, ab Agendico itidem diſceſſiſſe, vt Lutetiam caperet. hoc illi conſilij fuit, quod tamen exitu caruit, obſidione ſpe deditionis diutius protracta. ne videlicet vrbs regni primaria diriperetur. nam humanitate regis factum, vt irritus conatus fuerit, quia maluit integram relinquere, quam directam habere vrbem. quod quarto poſt anno certius patuit, cum capta nec direpta eſt. quod non niſi à legitimo principe & potius ſui conſeruandi quam alieni inuadendi ſtudioſo fieri & expectari poterat. dum ad obſidionem hæreret, res, quæ huc vſque inter arma ac diſcurſationes confuſæ fuerant, ordinare cupiens Eclimontia arce ſua euocauit Philippum Huraltum Cancellarium, ad eumque miſſus Thuanus, qui vno & altero itinere per immodicos calores illuc profectus non ſine vitæ diſcrimine rem confecit. in itinere illo carmen hoc elegiacum ab eo factum, quod temporis, in quo ſcriptum eſt æſtum & affectus refert.

Aura veni leni mulcens ardentia flabro
Spicula, dum feruet Seirius, aura veni,
Squalent arua ſiti, viguos nec vt ante per hortos
Læta coronato vertice Flora viret.
Non tremula ludunt nutante cacumine, frondes,
Nec mouet inſtabilem populus alba comam.
Feſſa armenta tacent, caneſcunt gramina campis,
Stratáque per dumos ilia ducit auis.
Faucibus & ſiccis languet ſub Sole viator.
Et non inuenta pallet anhelus aqua.
Aura veni, rapidoſque leua gratiſſima Soles,
Dum mandata fero principis, aura veni.
Ique ardens Boreas vt Erichthidos Orithia
Actæam volucris ſyrmate verrit humum,
Talis & aura veni, noſtroque medere labori,
Dum ſubeor tritas ire redire vias.
Nulla hic est quæ trepidet ſuſpecta ad nomina Procris,
Nec qualis Cephalo noxia dextra mihi eſt.
Quid loquor incaſſum? roſeo non Eurus ab ortu,
Non Gaditano ſpirat ab Oceano
Dilectus Veneri Zephyrus, nec plena per vndas
Impellunt animæ lintea Threiciæ,

G 2

Non madidis Auſter cœlum diuerberat alis.
Vana queror. noſtras non capit aura preces.
Me miſerum interea terret Phœbeia lampas,
Aere & immoto feſſum anhelat equum.
At te per tenera falſos Peneidos ignes,
Dulce per & Clymene quod Chioneque fuit,
Parce, oro, vrenteisque manu depone ſagittas.
Et pharetram ex humeris exuete Phœbe tuis.
Hac aſtus immitis & exitiale venenum,
Ars cui Pæonia nulla medetur ope,
Excute; quid meruit petulantis pœnam lingua
Tantalis auſa tuum lædere numen habet,
Dum præ Latona felix ſibi ſorte videtur,
Heu tot natorum prole ſuperba parens!
Ad ſipylum namque ex illo ſtupet horrida ſaxum,
Fletque vdo raptam marmore progeniem.
Parce pater Thymbræe; tuis ego turea templis
Dona tuli, nec nos nomen inane ſumus.
Et iuuenile tuo caluit mihi pectus ab aſtro,
Cum ſequerer cæcum cæcus & ipſe Deum.
Contra hoſtem potius Dem ignea ſpicula verte,
Et flammis meritos vltima perde tuis.
Factio nulla magis placida inuidioſa quieti
Emerſit Stygiis in mala noſtra vadis,
Incantat non vlla potentior ore mentes
Turbida Gallorum miſcuit ingenia.
Illam Tiſiphone prægnans enixa ſorores
Præſto habuit, nec opem Iuno vocata tulit.
Gorgoneis tremulum Alecto caput hirta colubris
Obſtetricis obit officioſa vices;
Veſtibuloque ſedens accincta Megæra flagello
Admouit piceam torua ſub ora facem.
Protinus & preſſit cunas furialis Enyo,
Martis & auditus ſaeuus vbique fragor.
Hoc monſtrum, horrendum monſtrum, terraque marique
Vltor peſtifera perge abolere lue,
Sterne duces, bellique moras & fæta latronum
Iniecto paſſim diſiice caſtra metu.
Hæc noceant tua tela tenus, ſis cetera mitis,
Et concepta pio pectore vota cape.
Militibus noſtris æſtum defende nocentem,
Dum propero, radios Phœbe recondé tuos.
Magnanimum Henricum dura inter prælia ſerua,
Cui mea deuota ſedulitate fides
Seruit, ab hac anima tot vitam ſtamina ducunt
Vnius abrupta mox peritura colo.
Scis huic deberi per leges ordine ſceptra,
Controuerſa facit quæ ſcelerata cohors.
At vincet tandem, laurumque merebit vtramque
Dux fortis bello rex quoque pace bonus.
Amiſſis per eum ſemper victoria pennis
Serta triumphali laurea fronte geret.
Dulcia cognatis reddentur & otia Muſis,
Et vatum cinget Delphica bacca caput.
Addet & ad laurus olea ſua munera Pallas;
Hoc bellatorem pignore vicit equum.
Ipſa trucis rabido tumeat licet angue Meduſa,
Artes condentis tempora pacis amat.
Hæc ſeries; laſciua per otia bella ſerantur;
Pax petitur bello nulla per arma ſalus.

Poſtridie, quam Huraltus Cheuernius in caſtra venit, fanum Dionyſij deditum fuit. quo facto res Pariſienſium ad ſummam anguſtiam redactæ erant, ſed procraſtinatione illa, quam dixi, cum interea Parmenſis cum auxiliari exercitu ſuperueniſſet, ſoluta

ſoluta obſidio. graui tunc XXI dierum febre per caniculareis æſtus ad Nantolietam arcem, cuius ei cuſtodia cum firmiſſimo præſidio attributa à rege fuerat, decumbebat Thuanus, dumque ægrotaret cariſſimum amicum amiſit Petrum Delbenium abbatem, ad quẽ literas cotidie in illo morbi æſtu ſcribebat, & viciſſim ab eo accipiebat. in cuius obitum hoc ab illo carmen dolor expreſſit, mæroris & corporis adflicti idoneum teſtẽ.

Ecquid in humanis non vanum & futile rebus?
Delbenius vixit, vitæ egentum inops.
Delbenius vixit ſtudioſa cura Mineruæ,
Phœbo Muſarumque aſſecla Delbenius:
Gratia apud regem cui pollens, mellea facundi
Copia per ſummis rebus & ingenium.
Vt nos qui in vita hac tanquam ſtatione locauit
Fur veluti medijs opprimit in tenebris!
Hos ſero ad ſe ſe, maturius euocat illos,
Spargit & arbitrio cuncta metitque ſuo.
Cur tamen ô flentes macarita relinquis amicos?
Quid fugis & fugere te fugientes miſer?
Tam cito amicitiæ diſſoluis vincula noſtræ?
Aequa ne lanifica res ea viſa Deis?
Aequa ne res viſa eſt, vt vix ſupereſſe per vnam,
Cum tu ageres animam, crederes ipſe diem,
Ne luctantem imis poſſem prohibere labellis
Spiritum, & extremum dicere, amice vale?
Saltem præſenti quod ſors negat, exſequar abſens,
Et cinerem exſequijs officijsque colam.
Dicam naturæ dotes, & rara per artes
Atque animi cultum tot cumulata bona,
Totque intra atque extra curata negotia regnum
Mille per inſidias mille pericla via:
Dicam in amicitijs conſtans tibi pectus, & huius
In partem veniam forſitan elogij.
Vt dum vita fuit, quam tu officioſum amicũ,
Tum non ingratus poſt tua buſta ferar.

metaphraſis poetica, qua Ioel, Amos, Ionas, Abdias, Habacchuc, Haggæus explicati ſunt, antea incepta tunc finem habuit, quam lectiſſimo adoleſcenti Henrico Schombergio Nantolij comiti Gaſpare parente abſente inſcripſit, iamque tunc de eo auguriũ fecit, cui euentus poſtea largiſſime reſpondit, quippe cum is ſit, qui nunc in aula noſtra magnis adfinitatibus ſubnixus, & ampliſſimorum bonorum præter paterna in Armorica, Andibus, Santonibus heres familiæ decus & patris illuſtrem memoriam magna cum laude ſuſtineat. Nantolieta arce poſt ſolutam vrbis obſidionem dimiſſo præſidio Siluanectum conceſſerat Thuanus cum vxore, vbi rebus, quas potuerat ex Farenſi calamitate ſiue naufragio conuaſatis, conſilium de transferendo in Turones domicilio cepit. dum ſerius in viam ſe dat, in itinere Meruuij à Bellouacenſis ciuitatis præſidiarijs intercipitur, & vltimam reliquiarum ſuarum iacturã fecit, vxore cum toto gynæceo capta. ipſe cum inuitus faceret, vt eam relinqueret, monitus à ſuis, vt ſe periculo, quod præter captiuitatem maius accenſis tunc odijs ipſi impendebat, ſubduceret, pernicis equi ope cum vno & altero è ſuis in tutum euaſit, & inde Caluimontium in Vexinenſi agro ire pertexit. arcem Io. Caluimontius Guitrius tenebat, isque Thuano amiciſſimus tubicinem continuo Bellouacum ad expoſcendam Thuani vxorem & familiam miſit. cum nihil obtinere potuiſſet, Giſortium, vbi tunc rex erat, itum, & Bironus ſcriptis denuo ad Seſſeualium literis libertatem vxori ac gynæceo ac cetero famulitio impetrauit, redemptis pecunia in vrbe ab amicis commodata equis, quibus illa cum comitatu ad virum redijt. ibi actum de Henrico Turrio Turenæ Vicecomite in Germaniam ad conſcribendum exercitum mittendo, cui Thuanus in obeundis ad principes Germaniæ legationibus, dum ipſe in præcipuo munere occuparetur, comes deſtinabatur. ſed tandem placuit vt domi maneret, & ad latus Cheuernij Cancellarij ſororij aſſiduus in negotijs explicandis ei præſto eſſet. poſtea regi expeditius viſum, vt Cæſarodunum proficiſceretur, & Cardinali Borbonio patrueli operam nauaret, eumque in officio hortationibus ſuis & gratia, qua apud eum pollebat, confirmaret ac retineret. nam allatum fuerat, in arcano tertianæ factionis ab ambitioſis hominibus, qui per turbas fortunæ incrementa quærebant, fundamenta in familia regia iaci. itaque eo miſſus Thuanus, qui iam tum deprehendere ſibi viſus eſt, non omnino vana eſſe, quæ ad regem perlata fuerant. interim Cheuernij perſuaſione ac diligentia ad

A utriſi Carnutum obſidionem parata omnia, quod amiſſo ſub id Theodorici-caſtro an-
n ona copioſa ex Campania ac Bria Lutetiam deueheretur, & capto Autrico, vnde co-
pioſior multo importabatur, plus illi decederet; quàm ex Theodoriti-caſtro ſuppleri
poſſet. cum res initio in caſtris regijs nutarent, neque ex voto euentus reſponderet, Cæ-
CIↃ IↃ XCI. ſarodunì reoudari voluntates cepere, atque io autem primum, dein & palam iactari, re-
gem, qui ſpem fecerat de reconciliatione ſua ad ecclesiam, poſt victoriam Euriacã quaſi
ſui oblitum promiſſiones ſuas obliuioni dediſſe, neque iam in ſuorum deſiderijs, ſed in
armorum vi omnem regni pacaodi ſpem reponere. id verò quam dubium ſit & incertum
omneis ſcire, & iam vel ex obſidione, ad quam nunc hæret, conſtare, nam ſi tantillum
opidum taoti ſucceſſus curſum inhibere ac diſturbare potuit, quid tot ampliſſimis toto
regno vrbibus ac munitiſſimis reſiſtentibus ſpera- 10 poſteeum poſſet? patientiam tan-
tam, dum ſingulæ capiantur, inconſideratè facere, qui à ſuorum fide exſpectent; mooeo-
dum eum eſſe, vt quam primum nullaque interpoſita mora ſe ac ſuos reſpiciat; alioqui
fore, vt niſi publicis votis ab eo ſatisfiat, ipſi ſibi conſulant. inter has voces Autricũ con-
tra quam tertiani ſperabant, deditione tandem receptum, ita tamen vt rumores iam ſpar-
ſi minimè propterea quieuerint, quippe iam adulta factione, quæ non ſolum inter re-
gios graſſabatur, ſed iam occultis mmirationibus tam extra quam intra regnum incre-
mentum capiebat. itaque cum ſub id res in vrbe turbareot, accenſa plebe ſuſpicionibus,
& Guiſio ex arce nuper elapſo, ex Thuani & Ægidij Sovrei Turonum præſidis viri in-
corrupta fide, quem tertiani aliquoties fruſtra teotauerant, communi conſilio, euocati
in aulam, qui Cæſaroduni erant. rex Medontæ erat, poſt Lupariam aſtu ioterceptam ali-
quantum confirmatis rebus, & ſpe de auxiliari exercitu certa, qui venientem patruelem
cum omni comitatu per benignè extra vrbem excepit, eoſque imprimis, quos praua cõ-
ſilia Cardinali inſuſurrare inaudiuerat, ea ſpe, vt eos maiorum emolumentorum, quam
ab illo exſpectare poſſent, ſpe ad ſuas partes pertraheret, & exploratores ad latus ipſius
haberet, quod & accidit. nam quicquid inter eos agitabatur, in horas reſciſcebat ſollert-
tiſſimus princeps, factione interim vireis ſumente, & paullũ abfuit, ad pernicioſiſſimum
vſque exitum in illa ipſa vrbe vbi tunc hærebat, perducta. aduentu Cardinalis & ali-
quot præſulum qui cum eo erant, ſed à factione illa alienorum, in conſilio multa agita-
ta, vt eos oon ob ſuſpiciones, ſed negociorum neceſſitate euocatos appareret; & impri-
mis de reuocandis edictis ab deceſſore ſuo vi adducto, vt Heoeticorum violentiæ cede-
ret, conditis, ac oouo in gratiam Proteſtantiom promulgando, quo priora confirmaban-
tur, & pax regni ſanciebatur. interceſſit Cardinalis & diſceſſione deliberationem abrum-
pere voluit, intempeſtiuo conatu, quippe cum præſules qui aderant, eum minime ſeque-
rentur, tandem edictum factum, cuius in Senatu promulgandi ad pacem regni tuendã
cura Thuano demandata fuit à rege, quem & pacis ſtudioſum & factionibus, quæ re-
gias partes debilitabant, infeſtum ſciebat, inſuper & ad pecuniam dono ſeu mutuo à cun-
ctis ordinibus ſumẽdam mandata dederat, cum literis ad Soeſſionem itidem patruelem,
qui Cæſaroduni cum frater ad regem proficiſceretur, remanſerat quartana vexatus, ob
quam & ſub id in Mallianam arcem proximam liberioris æris cauſſa conceſſerat. ante-
quam Medoota diſcederet, allatum ad regem de morte Iacobi Amioti Altiſſiodorenſis
epiſcopi & magni Elemosynarij ac bibliothecarij regij. is Caroli IX & Henrici III præ-
ceptor fuerat magnis & opimis ſacerdotijs ab munificis alũnis donatus, quæ in pleroſq;
iam pridem attributa vſu per bella inualeſceate, vt viuorum etiam bona alijs deſtinaren-
tur, aut tuoc diuiſa ſunt. Reginaldus Belnenſis Archiepiſcopus Biuricenſis, de quo iam
dixi, Eleemoſynarij dignitate ornatus, Thuanus bibliothecarij munere donatus fuit. heic
rem reticere nó poſſum, quam ſciri rei literariæ intereſſe exiſtimaui. Amiotus hic Pœme-
nica Longi, Heliodori Aethiopica, Diodori Siculi Hiſtorica, ac poſtremo Plutarchum
in linguam noſtram Gallicam de Græcis verterat, ſed hunc maiore elegantia quam fide
dum auribus noſtris placere, quam de cenſus veritate laborare potius exiſtimat. his rebus
magnum ſibi nomen conciliauerat, & cum eodem tempore & Eleemoſyoarij dignitas
Ioannis Venatoris Carrugij Ebroicenſis epiſcopi morte & Academiæ Pariſienſis cura o-
lim Illuſtriſs. Cardinalibus Carolo a Lotaringia & poſtea Odeto Colinio Caſtellionæo
demãdata, quæ ſunt munia omnioo diſtincta vacarẽt, ea coniunctim Amioto attributæ
ſunt, magno & in poſterum pernicioſo errore. quod iam tum Belnenſem Thuanus mo-
nuit, & poſtea illuſtriſſ. Cardinalem Iacobum Dauidium Perronum, qui Belnenſi in ea
dignitate ſucceſſit. nam quamquam ita ſors tulerit, et qui eas ſimol hactenus tenuerint,
ob literarum peritiam & ſummum in literas & literatos amorem ambabus ſe digniſſi-
mos præbuerint, noo poteſt non accidere in hoc præſertim regno & aula, vbi plurimum
fauor & gratia valent, quin aliquando altera & fortaſſe ambabus indigniſſimus illas ob-
tineat & literarum omnino ignarus de literis & literarum profeſſoribus arbitrio ſuo ſta-
tuat. itaque ijs auctor fuerat Thuanus, vt ſingularũ, quod vtriuſq; ſeparata eſſeot munia,
ſingula diplomata à rege acciperent, vt qui alteram vt opimiorẽ & in ſpeciem digniorem
in

in poſterum ambient, ſcirent, alteram ad eos, qui de literis iudicare poſſunt tantum per-
tinere, neque ad Muſarum ſacra à quibus ignorantia eos arceat, tanquam Aſini ad Lyram
accederent. Hæc Thuano dicente neuter diſſenſit; ſed nec propterea Belnenſis, qui iam
ad meliorem vitam migrauit, nec hactenus Illuſtriſſimus Perronus errorem emendauit;
vt periculum ſit, ne quod literati præſagiunt, vltimus error ſit peior priore. Thuanus
vbi Cæſarodunum venit, ſtatim ad Sueſſionem ſe contulit, expoſitiſque Regis mandatis
ac præſertim ſuper edicto in Proteſtantium gratiam facto & præcedentium Henrico III.
extortorum, quibus ipſe à ſucceſſionis jure excludebatur, reuocatione, prædixit fore, vt
re à Patribus maturè deliberata eum, vt promulgationi intereſſet, regis nomine rogaret,
ſic enim iniunctum ſibi, quo rem magno ſuorum omnium conſenſu confectam fuiſſe
ex eo cunctis innoteſceret. nec abnuit tunc Sueſſio, ſed aliis de cauſis poſtea exaſperatus,
cum Thuanus ex Ægidii Sovrei conſilio tempore prædicto inſtaret regis nomine, vt in
Senatum veniret, verbis acerbioribus eum excepit, nec promulgationi intereſſe voluit.
verum acerbitatem illam paullo poſt ita excuſauit & non tam Thuani cauſſa, cui alio-
qui bene volebat, & in occulto fauebat, quam aliorum, quos nunc nominari ſuperfluum
eſſet, id ſe feciſſe oſtenderet. interim rex recepto Nouioduno in Veromanduis ad limi-
tem excurrerat, vt auxiliarem exercitum, cui Chriſtianus Anhaltinus princeps & cum
ſummo imperio Henricus Turrius Turenæ vicecomes præerant, exciperet, quo facto ad
Rotomagi obſidionem venit 3. Eid. ixbr. qui B. Martino ſacer eſt; quo et venire iuſſus
Achilles Harlæus Senatus princeps primarius cum delegatis ex ampliſſimo ordine Ioan-
ne Thumerio, Jacobo Gilloto, Io. Villametello. cum ijs & venit Thuanus & cum Vindi
in Cænomanis ſimul eſſent, de turbis Luteriæ per Meduanij abſentiam excitatis allatum
eſt, & indigna Barnabæ Briſſonij præſidis, qui res ad moderationem adducere conaba-
tur, Claudij Larcherij & Ioannis Tardiui morte, quam mox generoſe vltus eſt Medua-
nius: viri de literis optime meriti, at nemo erat qui non indignam vicem doleret, ita ple-
rique ſic exiſtimabant, maiorem in eius morte literas quam rempub. iacturam feciſſe;
quippe cum ille inter eos perijſſet cum quibus vel cum famæ & vitæ periculo viuere
& primas tenere quam ſaluis veriſque cum collegis regias partes ſequi & loco ſuo ſe-
dere maluerat. Harlæus cum delegatis & Thuanus ſub id Darnetallum venerunt, CIↃ IↃ XCIII
cum rex pridie ad Aumalam incumbente Parmenſis exercitu leui vulnere ineunte
Februario perſtrictus eſſet; magnam ea res omnibus trepidationem iniecit non ſolum
in exercitu ſed quacunque fama eius, quæ ſemper eundo creſcit, peruenire potuit;
reputantibus quantam mutationem tanti principis, cuius ex ſalute publica ſpes pen-
debat, periculum importaret, debilibus adeò ſucceſſoribus, & externis viribus ac con-
ſilijs pro tempore in regno pollentibus; ſic enim tunc res erant, vt vnius ingenio ac
virtute ſtare, euerſo vnà collabi crederentur. inopinato aduentu cum iure metueret
ſolertiſſimus belli dux ne res in caſtris turbarent, vt aliquam moram perrumpenti ob-
ijceret, Gurium Nouo caſtro, quod in itinere occurrebat, & quod hoſtem minimè
à tergo relicturum apparebat, cum valido præſidio impoſuerat, cui & adiunxerat
Germanicas aliquot cohortes duce Fabiano Reburſio, de quo multoties facta in Hi-
ſtoriarum libris honorifica mentio, dedito tandem loco valde honeſtis conditioni-
bus. quia pactis Reburſij externarum copiarum primarij ducis nomen expreſſum non
erat, altercatum aliquandiu fuit an ijs comprehenſus intelligeretur, & Parmenſis non
comprehenſum contendebat, ob idque aliquot dies quaſi captiuum retinuerat Rebur-
ſium, quem tandem poſtquam de facto inter eos conuenit, ad regem, quem Benear-
nenſem principem appellabat, remiſit, permiſſo illi libero controuerſiæ arbitrio,
qui tandem ſecundum Reburſium pronunciauit. cum in caſtra regia venit, antequam
de cauſſa ageretur, ante omnia à rege interrogatus, quid Parmenſis de excurſione ac
velitatione ſuperiorum dierum diceret, cum initio ſe excuſaſſet, tandem imperio ada-
ctus, mirari reſpondit Parmenſem, qui tantus princeps nulla neceſſitate coactus tanto
ſe periculo expoſuiſſet, cum nullo id operæ pretio faceret, & magna clade ſuas ſuorum-
que res euertere periclitaretur. hoc verius quam ad exſpectationem faciens Parmenſis
iudicium à rege cum ſtomacho exceptum; nec mirum eſſe dixit, ſi Parmenſis ita ſen-
tiret, quippe qui alienis auſpicijs, milite, ſumptibus nec ſuo periculo bellum gerat,
cum ipſe totam armorum ſuorum molem animo & corpore ſuſtineret, & euentus pe-
riculum in ſe ſolo veluti reciperet, quo fiat, vt triſtitiæ & periculi impendentis im-
patientia plerumque in periculum ipſum ruat, & malis vndique circunſtantibus vel cum
vitæ ærumnoſæ diſcrimine per præcipitia finem quærat: in aduerſarijs etiam hæc nota-
uerit Thuanus; poſt cruentam illam eruptionem, cuius culpam in Ludouicum Grillo-
nium prætorianorum tribunum reijciebat Bironus, quod itando & miſſitando ad
Andream Brancatium Villarium, qui vrbem & S Katharinæ munitionem tuebatur,
rei tentandæ occaſionem & commoditatem dediſſet. cum Grillonius in ſecretius regis
conclaue à prandio veniſſet, dum ſe excuſat, & ab excuſationibus ad altercationes pro-

rumpit verbis petulantibus & repetitis ſæpius deierationibus regis iram prouocaſſe, regem contra ipſo faceſſere iuſſo, cum à ianua ſemper rediret, poſtremo impatientia expalluiſſe, metu iniecto ne gladio ab aliquo circunſtantium arrepto importunum hominem conficeret. tandem excluſo Grillonio cum ex commotione illa ad ſe rediiſſet, ad proceres qui aderant & cum iis Thuanus, conuerſum, mirantibus illis, qui tot tantiſque irritatus modis ſibi temperare potuiſſet, reſpondiſſe, quo natura ad iram pronior eſſet, eo cautius à prima adoleſcentia id ſeruaſſe, ne quid ira faceret, quippe experimento edoctum iram peſſimum conſultorem eſſe, itaque ei refrenandæ ſemper ſtuduiſſe, & gaudere quod moderationis ſuæ tam idoneos teſteis habeat; & ſane ita natus erat & adſiduis laboribus & variis fortunæ aſſultibus ita animum indurauerat, vt iræ melius quam voluptatibus imperaret, obſeruatum dum Grillonius cum Rege altercaretur, Bironium, qui aderat, & ſuper arca dormienti ſimilis recumbebat, quo magis contentio incaleſcebat, & voces tollebantur, eo ſomno altiore obdormiiſſe, quum Grillonius initio ad aureis eius contumelioſa verba inſuſurraret, & eum canem rixoſum & ſcabioſum iniurioſe appellaret. quod conſilio ab eo factum, qui aderant, credebant, ne ſi euigilaſſet, contentionis neceſſitatem, quam regi integram relinquere malebat, cum homine pugnaci ſed effrenatæ inſaniæ in ſe ſuſciperet. tempore obſidionis ante eruptionem ſemel atque iterum luſtratum vallum, & rex Harlæum, Thuanum, & ceteros delegatos per aggeres exſtructos & cuneos, qui feſtinatis operibus agebantur, deducere pro ludo habebat. actum & de cenſuris Pontificijs, & cum poſt decreta Catalauni in Campania & Cæſaroduni in Turonibus contra promulgata inſtarent Cardinales ac præſules, qui in regis comitatu erant, vt iuxta decretum paullo ante à ſe contra eaſdem cenſuras Autrici in Carnutibus factum ſibi cum bona Regis venia legationem Romam mittere liceret. interceſſere aliquandiu Harlæus & delegati, qui ob eam cauſſam in caſtra euocati fuerant, ne legatio mitteretur, nam id S.C. expreſſe prohibitum, quod edicti regij ſicuti in talibus motibus fieri laudabili maiorum inſtituto conſueuit, vim obtineat; nam ad auctoritatem regiam tuendam pertinere, ne qui regias partes ſequantur, quidquam contra regia mandata & regiorum conceſſum decreta facient. tandem ex eorundem conſilio cum Cardinalibus & præſulibus deliberatione habita pragmatica quædam ſecreta condita, iuxta quam tempore ſciſſuræ ſacerdotiorum & aliarum rerum, quæ Roma peti conſueuerant, diſpenſationes fierent, & iuxta quam de ijs in regni curijs iudicaretur. quod amplius in *Annalibus* explicatur. quo facto & impetrata à ſacro ordine interim Romam mittendæ legationis licentia dimiſſi honorifice Harlæus & delegati, & cum ijs Thuanus, qui $\overline{X.L.}$ aureorum millia vndique corrogata ſecum in caſtra attulerat, Cæſarodunum remiſſus, vt rei pecuniariæ expediendæ denuo incumberet, eique ſecreta mandata data, quibus pro arbitrio vteretur, hominesque attributi, qui quod ipſe iuberet, quaſi regia iuſſa exſequi tenerentur. quibus tamen ita vſus eſt, vt voluntati regis, quantum in ſe fuit, factum ſit ſatis, citra cuiuſquam iniuriam, quam quidem plus iuſto cautiores dum vitare cupiunt, in magnas ſe & inexplicabileis difficultates ſponte induerunt. dum redeunt in Carnutibus graui & violenta febre Thuanus correptus eſt, quam Cæſarodunum vſque in equo, in curru, in lectica quam potuit patientiſſime tulit, vltimaque die adeo adflictatus eſt, vt paullum abfuit, in itinere defecerit. Cæſaroduni præſto fuit Carolus Falezeus, Fräciſcus Vertunianus artis medicæ peritiſſimi & ſingulares amici, & Ialnæus à Diana Engoliſmenſi virtutis regiæ heroina, quæ Thuanum conſtantiſſime ſemper dilexit, miſſus. morbum in caſtris quadrimeſtri mora contraxerat, in quibus ob diuturnitatem obſidionis ære corrupto iam lues popularis graſſabatur, & poſt ſeptimum diem papulæ effloreſcere per lumbos ceperunt, certiſſima peſtilentis mali indicia, vt plane de eius ſalute deſperaretur. nihil non tentatum remediorum contra periculoſum adeo morbum, demumque $\overline{XIIII}$ die adhibitus ex Falezei conſilio, qui experimentum eius feliciter aliquoties ſe feciſſe aiebat, bezoar lapis ab eadem heroina ſedulo per Ialnæum ſumminiſtratus & in aqua cardiaca propinatus cuius ſumptione poſt crebra deliquia notæ illæ malignæ euanuerunt, & reſumptis viribus febris minui cepit, tandemque Thuanus magno bonorum omnium, qui ſalutem eius comploratam lugebant, in vrbe gaudio priſtinam valetudinem recuperauit. morbo defunctus nihil antiquius habuit, quam vt grati aliquo animi teſtimonio non immemorem ſe accepti à Deo beneficij teſtaretur, & iam pridem mente conceptum argumentum in ſcenam produxit, Æſchylei Promethei imitatione edito, quem amiciſſimis ſibi & de ſalute ſua ſummopere anxijs Io. Thumerio, & Cl. Puteano nuncupauit. ſub finem demum anni in aulam profectus eſt, quæ tunc Autrici in Carnutibus erat, cum paullo ante Cardinalis Gondius & Io. Viuonus Pizanij marchio poſtquam ſe Lucemburgius excuſauit, in Italiam legati fuiſſent, vt reconciliationis negotium apud Pontificem vrgerent, cui ſe Senatus Venetus interponere debebat, &

per ſuos magnus Etruriæ dux omnem ſedulam operam adhibiturum ſe ſpondebat. ſub id Katharina regis ſoror Benearni pago, vbi toto belli tempore fuerat, ad fratrem venit, eique obuius proceſſit rex, & Cæſaroduni venientem excepit, per cuius abſentiam hoſtis ad Nouiodunum in Veromanduis caſtra poſuerat, & vrbem tandem deditione ceperat. rex interim in Carnutes deſcendit, & inde in Veromanduos, ſi qua poſſet vrbi obſeſſæ ſuccurrere. ſed iam deditionis leges perſcriptæ erant, & dies præfinita deditioni, niſi intra illud tempus ſuppetiæ à rege ferrentur. quod cum in tempore fieri non potuiſſet, deditio ſecuta eſt. venit & ſub id in aulam Sofredus Calignonus per Michaelis Huralti Hoſpitalij mortem Nauarræ Cancellarius creatus, qui literis olim in ſchola Burgundica operam dederat, eique ad pangendos verſus, quippe quadriennio maior viam ſtrauerat. quod ipſe alicubi reſtatus eſt; vir probitate & eruditione inſignis & vſu rerum quæſitam prudentiam in negotijs explicandis mira ſollertia adhibens; cum quo per ſuperiorum temporum calamitates intermiſſam amicitiam Thuanus renouauit, & ad vltimum conſtantiſſime ſeruauit. tunc & iacta colloquij inter partes fundamenta ex occaſione ſcripti exeunte anno à Meduanio Lutetiæ publicati, ad quod ex communi Thuani cum Schombergio conſilio cum à principibus, præſulibus, alijſque proceribus qui cIↃ IↃ xciii.
in regis comitatu erant, aſſentiente rege reſponſum eſſet, tandem ex mutuo conſenſu cum neutri parti diſſentire honeſtum eſſet, condicta dies & locus quo partes vtrinque conuenirent, cuius multoties repetiti colloquij is exitus fuit, vt populi per inducias, quæ ex eo ſecutæ ſunt, interquieſcentes quam violento impetu per turbas initio abrepti fuerant, tam prona voluntate tunc turbas exoſi pacis conſilia ſectarentur; eodem tempore inchoatum hiſtoricum opus, cuius cauſſa hæc ſcriptio præcipue inſtituta eſt ante $\overline{\text{V}}$ annos animo conceptum, comparata ad id vndiquaque per totum illud tempus materia & per peregrinationes in adoleſcentia virorum illuſtrium tota Europa aut per literas aut coram contracta familiaritate, ac noſtrorum imprimis, qui res magnas ſub regibus geſſerunt; commentariis item illorum qui præcipuis legationibus functi ſunt, & ipſorum $\overline{\text{III}}$ virûm à ſecretis epiſtolis ſcrinijs diligentiſſimè peruolutatis, etiam libris; nam nihil diſſimulandum, qui factionum ardente incendio vtrinque publicati ſunt, in conſilium adhibitis, ſed ad eorum, qui rebus ipſis interfuerant, fidem religioſe poſtea examinatis vt non ex rumoribus & ſparſis libellis, quod iniurioſe Thuano à maleuolis exprobratum eſt, ſed ex ipſo veritatis fonte hauſiſſe quæ ſcripſit, merito aſſeuerare poſſit. itaque & poſtea ἀλήθειαν, cui procul odio & gratia ſemper ſtuduit, luculento carmine celebrauit, & libris ſuis præfixit. & qui eum norunt, ſciunt, ſic vitam inſtituiſſe, vt cum in alijs rebus pleriſque ſe minorem minime diffiteatur, mendacio maiorem ſe ſemper præſtiterit, adeoque veritatis diligentem, quod de vetere quodam Corn. Nepos ſcripſit, vt ne ioco quidem mentiatur. ſciunt & eum cum magnis viris in luce poſtquam $\overline{\text{XX}}$ annum egreſſus eſt, magna virtutis ac fidei opinione vixiſſe, & poſtea magnis & ipſum negotijs tractandis adhibitum, in quibus & hodie occupatur, eadem virtutis ac fidei opinione, in quibus & hoc caute ſeruauit, vt in ijs quæ ad odium & contumeliam vergunt, rei acerbitatem verborum temperamento mitigauerit, & quod in iure vſurpari ſolet, in inuidioſis quod minimum eſt, ſemper ſit ſecutus. quod comparatione eorum, qui eaſdem res ſcripſerunt, ſi æquitati adhuc locus ſupereſt, facile animaduerti poterit. hoc & obſeruabat religioſe, ſicuti ex ipſo audiui, vt præter orationes quas quiſque fidelium mane ſurgens ad Deum concipere tenetur, peculiarem pro inſtituto opere faceret, & non niſi expiata per preces ab affectibus mente ad ſcribendum accederet, numen inuocatum venerans, vt ſibi præſenti auxilio adeſſe dignaretur, & lumen menti præpanderet, quo inter factionum & odiorum æſtus latentem veritatem eruere, & in apertum citra liuorem & adulationem educere ſibi liceret, quod propitio numine ac conſcientia bona fretus in parte ſe adſecutum confidit, niſi ſi iudicium, quod in tali ſcriptione ante omnia adhibibi neceſſe eſt, in ipſo defuit, de quo præſens ætas ſi minus ſincere, at veniens proculdubio in corruptam ſententiam feret. itaque poſteritati totum hoc relinquere certus, carmen ab amico ipſius nomine ſcribi paſſus erat, quo ad præcipua capita, quæ Romæ & in aula noſtra excogitari intellexerat, apologiæ vice reſpondebatur, quod hic anticipato tempore inſeri non abs re viſum eſt.

POSTERITATI

Libertatis ego nimia, verique quod acer
Aſſertor fuerim, vitiorumque horridus oſor,
Et Romæ & noſtra paßim traducor in aula.
Quid faciam? quo me vertam? quo indice cauſſam

Defendam? iudex idem accuſator & index.
Tu modo, Poſteritas, ades incorrupta roganti,
Et patrocinium deſertæ ſuſcipe cauſſæ.
Scripſimus iſta tibi. nil nos ingrata moramur
Iudicia, & vili plauſus mercede redemptos
Nil admirantis præter præſentia vulgi.
Tempus erit, quo, nunc quæ non ita grata, placebunt,
Cumque odio fuerit ſatis inuidiaque litatum,
Præmia pro meritis conſtabunt iuſta labori.
Interea liceat mihi ſimplice crimina verſu
Diluere obiecta, & noſtro ius præter iniuſtas
Cum venia auctorum detergere nomine labeis.
Libera lingua mihi eſt. quid ſi ſeruilis? an is, qui
Me nunc accuſat, non & reprehenderet idem
Tanquam vaniloquum, tanquam candoris inanem?
Primus amor veri rectis in mentibus eſſe
Debet, vt in caris etiam execremur amicis
Omne animi vitium; contra admiremur in hoſte
Virtutes, Graium Pellæo iudice nec ne
Barbarum ille ſuat, nullo diſcrimine habentes?
Hoc toto exacti decurſu fecimus æui.
Nec feciſſe piget, laudent culpentque ſuſurri
Pruritum ad teneras quod mollibus excitet aureis
Magnatum circum volitantes atria muſcæ,
Et fuci & paraſiti & nigra nomine ficus
Indigetanda cohors noſtra inſidioſa quieti.
Ille bonis dignus mihi ciuis habetur honore,
Cui ſeruare fidem vel cum diſcrimine vitæ
Iactura ve ſua didicit, qui ſpernit honores,
Deteſtatur auaritiam, fraudeſque nefandas,
Intus & eſſe pius mauult quam fronte videri.
Nulla fides hodie barba, impexoque capillo,
Nulla ſupercilio, rugiſque ſeuera profeſſis.
Imponunt externa oculis. Deus abdita nouit
Solus, & arcanos rimatur pectore ſenſus.
Arguit ecce alius, quod amore odioque procul ſim,
Perpetua quod non vſque ad faſtidia laude
Putidus hos onerem, non illos aſper acuto
Dente ſecem, pleniſque vomam conuicia buccis.
Atqui Gregorios laudauimus & Marcellos,
Atque Pios, illumque imprimis Hadria nomen
Cui dedit, & Paullum priuata laude merentem
Aſcesbi antiquu. habuit nam Roma probatos
Pontifices, alios, minus hic, & ſemper habebit.
Sic ſunt res hominum. nihil omnis ex parte beatum.
Cuncta ad menſuram ſuperi regnator Olympi
Menſuræ ipſe expers tribuit mortalibus ægris.
Nam quid Alexandro fiet, qui ſacra profanis
Miſcuit, & gladio nil non & pyxide fecit?
In caros quid auo nimium indulgente nepotes?
Altius vt repetam, quid Iulius ipſos ãpnos,
Italiæ cunctos qui non errante ſubegit
Claue duces? contra quid Iulius alter ab illo,
Alea qui vacuo dum grandia mordet in horto,
Poſthabuit lenibus ſe digna negotia nugis?
Multa tegi ſed enim, quam efferri in luminis auras,
Expedit. ô Corydon Corydon! arcana potentum
Vlla putas? vt ſint, minime illos credere par eſt.
Laudanda vt faciant, audere vt turpia ceſſent,
Semper adeſſe putent, qui crimina tecta reuelet,
Et ſi quid peccent nunquam ſinat eſſe ſepultum.
Sola libidinibus lex eſt hæc dicta potentum.

Vt me-

Vt metuant de ſe coram quid fama ſuſurret
Publica, quid venient olim pronunciet ætas.
In medio quiſquis rerum moliris habenas
Sic poſitas adeo te crede habitare theatro,
Liber vti partem pateat proſpectus in omnem,
Perque gradus ſedeant tanquam ad ſpectacula ciues.
Sic foris atque domi, ſic corpore tutus aperte
Poplicola alter eris, ipſo te teſte beatus;
Inuida nec metues plebeia verbera linguæ,
Nec Siculas inter menſas lautosque paratus
Diſtrictum ceruice ſuper trepidabis ob enſem.
Quid quod ſcribendi petulantius atque loquendi
In procerum mores, ipſa mos natus in vrbe?
Feſcennina quis ignorat? quis ornata iocoſis
Inter cornicines neſcit dicteria pompis?
Paſquilli cui ſunt ignota ſophiſmata? cui ſunt,
E medio reſponſa foro quæ reddit amicus,
Vix prætextatis vix & referenda Cinædis?
Annum Silueſter claudit. vis cætera dicam?
Eſuriunt vates. noſti quid deinde ſequatur.
Hactenus & nullis laſciua procerum pœnis
Frænari potuit: fruſtra cuſtodia multas
Excubat ad ſtatuas vigilque ſatelles ſeruat:
Paſquillus nuſquam furta deprenſus in ipſo eſt,
Marforius ſemper loquitur ſemperque loquetur.
Doctrinam at ſanam nihil hæc dicteria tangunt,
Æternamque fidem, quam Petrus in vrbe cruore
Et Paulus ſanxere ſuo, quamque ordine longo
Semper eandem & vbique & ab omni gente probatam
Inde ad nos ſeries deducta oſtendit auorum.
Non ſi quis liber, ſi verum dicere gaudet,
Laudatorque boni vitiiſ ſi parcere neſcit,
Continuo niger eſt, tibi vel Romane cauendus;
Non pietati adeo libertas pugnat auita.
Ingenua ſi quid ſum ſimplicitate locutus,
Liberius ſi quid, ſubitoue quid excidit æſtu,
Non ego propterea lactantis ab vbere matris
Abieciſſe & gremio, deſertis non ego caſtris
Miles in aduerſum migraui transfuga vallum.
Non ego Smalcadica iurans fœdera pacis,
Namnetumue dedi dexteram inconſultus in vrbe,
Amboſia turreis fruſtra tentare paratus;
Sed procul à turbis omnique cupidine vitam
Maiorum conſtans in religione peregi,
Semper & abſtinui rebus per bella nouandis
Oſſatum ſit fas poſt tempora ſumma citare,
Oſſatum teſtem, qui me iuuenemque virumque
Inque toga & trabea, qui me intus & in cute norat.
Viueret! hanc triſtis vexet cenſura columbas,
Cunctaue permiſceat laxata licentia coruis.
Illum ne appellem, qui nunc ſuperatque vigetque,
Perronum Aonidum ſpem præſidiumque ſororum?
Vnus pro cunctis magni pars magna Senatus
Tu Franciſce mihi es, rerum ô tutela mearum.
Tu mecum, tanto tu me complexus amore,
Partiri ſueras curas; ſcis ſtrenuus in me
Quid ſolidum crepet, aut mendoſa tinniat ære,
Candoremque meum, qui ſit, re ſæpe probaſti,
Sponſorem te prætende ac prædem huc denique ſiſte,
Ne Franciſce bonæ vadimonia deſere cauſſæ.
At proteſtanteis laudas quos nempe vatini
Debueras odiſſe odio, & cane peius & angue;
Eloquium quidni laudem, ingeniumque colendum

Artibus, & ſi quid calamo vel voce valebant?
Nam Siculi exemplo Diodori inſtructa paratur
Bibliotheca viris, quos Mars amat atque Minerva,
Quos Clarius, Clarij quos dilexere ſorores.
Hermias hoc fecit idem, & feciſſe diſerte
Gaudet, & hoc minime facto peccaſſe fatetur.
Ergo Leunclaius, Geſnerus, Fabriciuſque;
Dictus honorifice Camerarius atque Xylander,
Iunius & Vetenus & Aſchamus & Buchananus,
Laudati Stephani, queis tota lycæa recenſos
Egregie ob veterum libros bene grata precantur;
Inſuper & plures alij quid magnum Eraſmum?
Mene in eum, cui res tantum literaria debet,
Et debebit adhuc, genuinum ſtringere? crimen,
Vos veneror manes, hoc à me deprecor abſit.
At peccavit; homo fuit atque humanus Eraſmus,
Humane & carpi voluit, placideque moneri.
Heu quis homo eſt, qui ferre alium nequit improbe lapſu
Peccantem humane, cum tu deterrima pecces
Interea inque homines Divoſque iniurius ipſos,
Obſcœnaſque cave luctantis pectoris antro
Admota deleas face perluce latebras?
Sunt hominum ætates variæ. iuveniliter illum
Exultaſſe ſtilo fateor. verum ultima ſemper
Diſtracta ſtudijs ſpectanda eſt clauſula vitæ,
Qua pulcra in Batavis fuit irreprenſoque cycno,
Ad Belgas teſtis quam ſcripſit epiſtola fratres.
Hinc alij atque alij inſurgunt, quibus altera lege
Numina quod patrias dixi moreſque receptos,
Diſplicet, ignaris fundata crepidine qua ſtet
Publica res, quantoque tot uſurpata per annos
Legitimo in regno maneant iura periclo.
Imperiorum auctor Deus, imperijſque regendis
Conſtituit leges, quas qui violaverit olim,
Vltricem ſciat ille paratam numinis iram,
In Tiberium Seianus ut alter ſcilicet unco
Ducendus, meritaque adfectus morte Cethegus.
Nunc & ſacra vide quid in hanc tum pagina dicat,
Ne tu limitem agro poſitum metaſue revelle;
Frigidus ecce rubos inter latet anguis acutos;
Si ſapis, ô mediam paſtor ne dirue ſepem.
Offendit Synodi Piſana & mentio quoſdam,
Quam pius & memori recolendus pectore Gallus
Indixit Lodoicus, ut importuna minacis
Arma coërceret Iuli, eiuſque fideles
Tunc palere hærentes aboleret corpore ſordes.
Narrans hiſtoriam, totum quæ nota per orbem,
An narraſſe nefas, & erit narratio fraudi?
Propoſitum ſed enim laudati principis ipſa
Laudaſti. & ſedem obliquo ſermone notaſti.
Tu qui me arceſſis, vitam non ante peractam
Arguis aut mores, ſed verba iacentia tellis
Emendari & quæ fieri meliora neceſſe
Tunc erat, ac priſtis Babylonis nomina perdi,
Id non in tanto ſumme laudabile ergo
Procurare fuit, totaſque impendere vireis,
Sponſa Dei ne qua vileſceret obſita ruga,
Vllius offenſæ; quærela aut cauſſa ſubeſſet
Atque utinam optatum potius ſortita fuiſſent
Conſilia eventum, quam, poſtquam Iulius omnem
Miſcuit Italiam, ferro graſſatus & igni,
Haud meliore via Leo graſſaretur & ipſe
Cuncta ſuis ſibique indulgens ac ſacra profanans.

Accenſa

Accenſa cineris concluſo è fomite flamma,
Quæ totum ſerpens inuaſit protinus orbem.
Non reliquo auulſi nunc corpore Teutones errent,
Anglia non laxis impulſa feratur habenis,
Anglia aboriginum mox ſigna ſecuta ſuorum.
Rurſus Pragmaticam obiectant Carli atque beati
Laudatam Lodoïci, indignanturque repoſitum,
Oblinì cæco mallent quod nocte ſepultum.
Quid facias? Galli pridem, dum fata ſinebant,
Felices, hoc paßim vſi ſunt iure, priuſquam
Vlla infeciſſet miſeros ſectaria labes.
Nunc quia Germanos vexant, vexantque Britannos,
Pannoniaſque duas longi contagia morbi,
Iure ſuo Gallos prohibent & legibus vti,
Et ſcriptis mandare, quod vſu & more receptum,
Tempore quod rebus tanto fuit vtile noſtris.
Idne æquum ciues, aut æqua mente ferendum?
Poſtremo mihi crimen atrox & morte piandum
Obiicitur, verbis quod ſum inſectatus amaris
Vrbe Pariſiaca lanienam mane patratam,
In Conſtantini quæ nunc & viſitur aula,
Præcipuos inter Romæ depicta triumphos.
Tempora nil opus heic, loca ſed diſtinguere. montes
Hanc citra vobis liceat pia turba Quirites
Illuſtrem laudare diem & celebrare quotannis.
Per Vaticanas alternis dicite cellas,
Eumenides Siculæ ſacra veſpertina conamus.
Non eadem Gallis, Italis quæ læta videntur,
Quiſque ſuo gaudet ſenſu. tu mellea credis,
Alterius quæ ſunt abſinthia tætra palato.
Laudem ego, tantorum quod apud nos cauſſa malorum
Exſtitit, & porro ſeclis erit vſque futuris!
Quod cunctas gentes inter populoſque propinquos
Gallorum infami deturpat crimine nomen,
Quodque tot edictis damnauimus? hoc ego laudem,
Impleuit trepidas quod ſuſpicionibus vrbes.
Libertatem odiis dedit, immanique cruoris
Per cædeis populos fundendi accendit amore?
Non execrer ego potius, diraſque nefando
Indicam ſceleri, legum quod vincla reſoluit,
Quod pacem turbat, regni quæ publica conſtat
Alma ſalus, ſummo quam paßim Eccleſia tota
A rerum Domino concepta voce precatur,
Temporibuſque ſuis optat contingere ſupplex?
Vos quoque Dardanius ſanguis, quibus otia blanda,
Et plumæ molles, & corda oblita laborum
Securam ſpondent æterna in pace quietem:
Damna aliena ad vos qui nil ſpectare putatis,
Ex improuiſo ſi Martius ingruat horror,
Hiſpaniſque ferox opibus poſt funere victor
Carolus in media ponat vexilla Suburra,
Nocturnisve dolis Albanus mœnia pulſet,
Sera licet tandem capiet miſeratio noſtri,
Inuiſaque adeo pacis pia cura ſubibit.

Quod mihi quod cuiquamve, poteſt contingere cuiuis.
Sunt exempla domi. ſcis diues Auenio quondam
Qua Sarbelloni lueris mercede furorem
Roma potens, quantiſque laboribus atque periclis
Conſtiterit ſæuas expertus Aranſio flammas,
Væ nimium veſtris vicinus Aranſio terris.
Quid ſi animis idem redeat furor, & quod vbique
Multi vrgent laris expertes ac iura grauati
Exlegeſque, domi naſcens lacrimabile bellum
Inuadat placidas turbato fœdere gentes;
Naufraga ſi totiens puppis non horreat vndas,
Nec fœdis pelagi tot conflictata procellis
Illiſum trepidet ſcopulis affigere roſtrum,
O quanti ex illo motus errore ſequentur?
Quæ tantas inter ſat erunt ſolatia cladeis,
Lymphatus cum vaſta dabit Mars omnia circum,
Sanguis vbique fluet, deſerto nullus in agro,
Vallata rarus viſetur in vrbe ſacerdos,
Siquis erit, diris probriſque à plebe petetur
Fons quaſi tantorum fomesque caputque malorum:
Et ſane vt fuco verum quæramus omiſſo,
Quam partem in turbis Chriſtus ſibi vindicat iſtis?
Cognatas ſocialis amor qui iungere mentes
Debet, vbi eſt? ſine quo virtutum cetera turba
Friget, vbi innocuus pudor & reuerentia legum,
Queis ſeruire bono libertas maxima ciui?
Vt verbo expediam, belli ciuilis in aſſe
Si totum excutias, non eſt ſemuncia recti,
Non fidei aut priſcæ pietatis ſcrupulus vnus.
Ponite iam gladios igitur, qui corpora lædunt,
Troiugenæ, ferrumque, animas quod diuidit anceps,
Sumite, ſidereâ ferrum fornace recoctum,
Et lacrimis precibusque Deum placate potentem.
Hæc vos arma decent. multis ſectaria peſtis,
Non culpa eſt, culpæ ſed debita pœna putatur.
Quo minus in tali licet excandeſcere caſu,
Si vitio humano lapſæ, non crimine, mentes
Doctrinæ cuiuſque leues agitantur ab aura.
His blandi affatus monſtris manſuetaque corda,
His opponenda eſt melior doctrina piorum
E priſco deprompta penu cellaque parentum,
Non tela atque cruces, quibus irritabile turbæ
Segregis ingenium tantos ciet orbe tumultus.
Iamque mihi oppoſitos caſſeis liuoris iniqui
Retiaque & nodos pius euaſiſſe videbar,
Cum ſubito à læua purgatam vellicat aurem,
Ingeminatque patris monitor venerabile nomen,
Cuius ego cineres & maneis rite ſepultos
Sollicitaui amens conturbauique quietem,
Inuitum excuſaſſe diem cum diximus illam,
Obligat infando quæ Gallica ſceptra piaclo.
Patris ego cineres placidos maneſque reuelli?
Patris ego nomen læſi? pro nomine nomen,
Quod mihi ſemper erit, cuius ſpiranſque recenſque

Vſque

Vſque magis noctem atque diem obuerſatur imago.
Quicquid ago, quicquid meditor vel mente reuolue,
Semper adeſt, culpæ tanquam obiurgator acerbus,
Si quid deliqui, ſi quid laudabile conor,
Inſtat agens, ſtimuloſque animis properantibus addit.
Ille mihi ante oculos maiorum exempla meorum
Dictaque præclare generoſe & facta reponit.
Ille refert proauos ad mœnia celſa Genabi
Fortiter occubuiſſe focos araſque tuenteis.
Ille refert Marlam bis centum circiter ante
Pallati quæſtorem annos, equitumque magiſtrum,
Ambo deuotos ambo pro rege ruenteis
Immanem plebis rabidæ ſatiaſſe furorem.
Iam Deganaium quid ego, pacalis oliuæ
Heroem quid ego memorem de nomine dictum,
Officio atque arta conſanguinitate propinquos?
Nec me degenerem ventura redarguet ætas,
Plura habitis cupidum non incuſabit habendi,
Præfocante animos non ambitione furentem,
Non ſimulatricis graſſantem fraudibus artis,
Infeſtas quæ nunc virtutibus obſidet aulas,
Et caligantum præſtringit lumina regum.
Vos ô maiorum cineres, téque optime longis
Solliciti genitor defuncte laboribus æui,
Teſtor, pro patria nullas regnique ſalute
Vitaſſe vices, veſtra virtute meaque
Indignum nil feciſſe, & ſi fata tuliſſent,
Prodeſſem vt patriæ, patriæ ſuccurrere, liuor
Abſiſtat, pietate mea meruiſſe petenti.
Pura ad vos anima atque hodiernæ neſcia culpæ
Deſcendam, quandoque nouiſſima venerit hora
Noſtraque ſub tacitos ibit fama integra maneis.
Nunc quia fata obſtant, manifeſta & percitus ira
Conſiliis placidas ſanis Deus obſtruit aureis,
Quod puer augurium præſago pectore feci,
Cum canerem aërias acies pugnaſque volantum,
In flexu ætatis ſeniique in limine firmo,
Inuidiæ cedo & faſceis trabeamque reſigno:
Eid. Martiis CIↃ IↃ CXI

Cum hoc carmen ab amico nomine Thuani ſcriberetur, ille preſagus quod in publicā vtilitatem elaborauerat, nō tam ſibi quam publicæ rei futurum fraudi, ſubeūte animum augurio, quod de ſe ante XXVII annos fortunaque ſua in extremo Hieracoſophio fecerat, hoc etiam amico inſinuauerat: quod vt clarius intelligatur, verſus ipſos heic quoque apponere placuit.

Atque aliquis longo cineres poſt tempore noſtros
Miratus viridi tumulatos ceſpite dicet,
Huic quanquam in plumis fortunaque inſuper ampla
Contigerit naſci, & ſuperarent gratia opeſque,
Quas teneris hodie cuncti mirantur ab annis,
Maiorum quamuis repetentem exempla ſuorum
Gentis honos & laudis amor, clarique parentis
Fama recens maiora etiam ſperare iuberet,
Otia Muſarum tamen ignotoſque receſſus
Maluit ille ſequi, ſcopuloſque aulæque procellas
Effugere, & vanos hominum contemnere fumos;

Maluit ille ederas & lauros ſponte virenteis,
Quam ſpolia & macra pingueis de pace triumphos:

Cum igitur nihil gratiæ nihil odio, nihil denique ambitioni datum ſit, nihilque aliud ſibi in toto opere propoſuerit, quam Dei gloriam & publicam vtilitatem, ad quam pertinet vt rerum geſtarum veritas in præſens propaletur, & ad poſteritatem incorrupta tranſmittatur, cum nihil niſi certiſſimis teſtimoniis & magnis auctoribus in eo ſcriptum ſit, mirari ſæpe ſubiit, qui homo qui neminem tota vita læſit, qui bona pro malis ſæpe rependit, tot obtrectatores ob hiſtorias à ſe editas habeat, qui non contenti humanos lapſus notare, qui non poſſunt in tam magno opere non obrepſiſſe, omnem exagitandi auctoris occaſionem per calumnias & cauillationes arripiunt, & à ſcriptis ad mores vitamque domeſticam, ne quid intentatum relinquant, rabie abrepti deſcendunt. cum tanti odij atq. adeo gratuiti cauſſas diligentius inquirerem, eaque de re autorem ipſum conſulerem reſpondit ille, non alias ſe videre, quam quæ non viderētur, quæ latent, quas malevoli expromere non audent. cùm hoc reſponſo ab eo dimiſſus, cum diuinationi tantum locus ſupereſſet, cepi apud me cogitare, quænā illæ latentes cauſſæ eſſent, & tandem, poſtquam rem diu intra me volutaui, eas nec alias eſſe comperi, quam quod toto opere bellum ob religionem ſuſceptum deteſtari, & ab eo abhorrere videatur, quod ita ſcripſerit, vt legenteis ab armis aliquando in hac cauſſa ſumendis deterrere poſſit; item, quod in præfatione liberius dixit, bellum non eſſe legitimum modum tollendæ ex Eccleſia ſciſſurę. inſuper, quod paſſim innuere videatur in vſum reuocandā Eccleſiæ priſtinam diſciplinam, & quod Conſtantienſi œcumenica ſynodo decretum fuerat, inſtauranda Concilia, & ſingulis decenniis vniuerſale cogendum, niſi neceſſitas vrgeat, vt citius cogatur. vrit & maxime omnium illos, quod de legibus patriis, prærogatiua regni, libertatibus, priuilegiis, ac denique de Palladio adiectum eſt, quippe qui cum ſint Sinones illi, qui ex alienis damnis faciendi compendium, hoc eſt, ex regnorum calamitatibus in eorum libertates inuadendi, & calcata regij faſtigij maieſtate nimiam potentiam oſtentandi, & per bella ac turbas vel cum Eccleſiæ pernicie & ſciſſuræ maioris periculo amplificandi occaſionem inſidioſe captant. hoc illos angit, hoc turbat, hoc in arcano excruciat. hinc iræ atque odia, hinc famoſi libelli vbique ſparſi, nec aliunde, originem trahunt. hinc Romæ ſuggeſtum, vt indicta cauſſa ſine condicione Iacobi Auguſti Thuani hiſtoriæ cenſura notarentur, quarum tunc pars tantum edita fuerat, ſed cum præfatione illa, qua tantopere intra pectoris ſcrinium ringuntur, neque tamen fatentur. nam & tunc ab Illuſtriſſimo Cardinali Bellarminio, cū eam legiſſet, interrogāti amico, quid ſentiret, reſponſum eſt, nihil in ea eſſe, quod reprehenſione dignum videretur. addito tamen, præcipitatam illam, nec regnum Henrici II bellis externis tantummodo exercitatum hac excuſatione opus habuiſſe. atqui præfatio totum opus, quo bella noſtra plus quam ciuilia narrantur, iam ad finem perductum reſpiciebat, & regnum Franciſci II, quod originē iis dedit, cum præfatione editum erat. pergunt tamen obtrectatores neque poſt decēnium ceſſant. hi ſunt nimirum, qui pacem fiduciariam, qua fruimur, turbatam cupiunt, cui conciliandæ auctor tanto tempore ante XIII annos iuſſu magni Henrici IIII. incubuit, qua re & ſe obligatum putat, vt maiore cum moderatione, quod ipſi vitio à malevolis vertitur, & æquo veluti cum aliis iure, de Proteſtātibus loquatur. hi ſunt, qui nouitia doctrina imbuti, ceterum de prouidentia diuina ſecuri, per bella, cædes, coitiones, machinationes, coniurationes gloriam Dei augeri credunt. corda contrita, lacrimas, preces, amicas cum ſectariis collationes parum valida contra malum indies ingraueſcens præſidia putant. aduerſus conciliorum opem implioranteis, tanquam ſegreges & in religionis cauſſa tepenteis ac ſuſpectos debacchātur, qui caritatem maiorum prorſus exuerunt, vnaque aberrantium ouium curam omnem à ſe abdicarunt, qui faſtum, pompam, typhum, ac dominandi impotens deſiderium cum ſciſſura potius, quam ſimplicitatem, tenuitatem antiquam & mutuum amorem cum pace ſectantur, maluntque in eos, qui vnionem ſeruant, libertatis Eccleſiaſticæ colore, ſeueritatem intempeſtiuam exercere, quam in iis, qui defecerunt, requirendis caritatem teſtari. denique vt ſapiētes ſeculi, in pace bello idonea parant, vt quod huc vſque tam infeliciter ſucceſſit, ferro flammaque cuncta permiſceant, & quicquid pernicioſis cōſilijs ipſorum obſtat, aut nō conſpirat, proturbent, deiiciant, euertant, cum iis hominibus ſcriptori Annalium res eſt. hac ille inuidia apud illos flagrat, cuius eo pericculoſius incendium, quòd incluſis ardet ignibus, nec niſi ruina reſtingui poſſe creditur. iura regni, libertates, dignitatem tueri, exemplis ſe maiorum aduerſus externas machinationes munire, legum Gallicanarum præſcriptione regiam ſalutē defendere, gladios à iugulo & à latere eius arcere ingens hodie crimen eſt, & læſæ diuinę maieſtatis ſcilicet dignum nomine. & hoc qui facit, olim querna corona & triumpho, cum Franci nominis prærogatiua inter concordes vigebat, dignus; nunc per diſſidia, poſtquam ignauia noſtra ſeu pręuaricatione in arcana regni iuratis hoſtibus penetrare permiſſum eſt, cacumine illo proſtrato, & fide, quę regi debetur, calcata, ipſe tanquam diris deuotus, ſacer & inteſtabilis,

Triſte iacet cunctis euitandumque bidental. Sed rurſus ſtilum inhibeo, & veniam à lectore peto, ſi in tam iuſtę cauſſę defenſione pro viri innocentis dignitate longius & cum calore aliquo euagatus ſum, fecique quod ille non feciſſet nec factum vellet.

VIRI ILLVSTRIS
IAC. AVG. THVANI
REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII, ET IN SVPREMO REGNI SENATV PRÆSIDIS AMPLISSIMI

Commentariorum de vita ſua

LIBER VI.

THVANVS Cæſarodunum, vbi cum vxore domicilium habebat, reuerſus, reliquum annum ſcriptioni impendit, inſtructiſſima Bibliotheca, quam Lutetiæ reliquerat, adductis ſecum per induciarum tempus libris ac commentariis iam diu ante congeſtis. ſequenti anno de conſecrando Rege, qui iam Eccleſiæ reconciliatus fuerat, ſed nondum in gratiam à Pontifice receptus, actum eſt, & Autrici Carnutum à Nicolao Thuano vrbis epiſcopo Thuani patruo res peracta, quo & ipſe cum vxore venit, in comitatu Achillis Harlæi primarij præſidis & aliorum ſenatorũ à rege euocatorum. iam tum de occultis Lutetię tradendæ conſiliis cum Briſſaco actum, idque reſciuerat per procuratores ſuos quos in aula habebat, Anna Ateſtina Nemoroſia Meduanij parẽs & fruſtra Meduanio ipſi aperuerat, ſicuti amplius poſtea ipſi Thuano, quicum artam cum patre ceptam familiaritatem colebat, narrauit. neque tamen his monitis Meduanius pro tempore ſapuit, ſed ad exercitum proficiſci certus vrbem cum certiſſimę fiducię ſignificatione in poteſtate Briſſaci reliquit, qui iam cum regiis conuenerat, & eam mox regi tradidit. Interea Thuanus cum Harlæo Cęſarodunum reuerſus eſt, & menſe Martio ſequenti conſilium ſecretum exitum habuit. cum vrbe recepta ſpes eſſet, vt non ante Senatus in vrbe reſtitueretur, quam qui in fide regis remanſerant, & Cæſaroduni ius toto quinquennio dixerant, ad Vrbem reuertiſſent, Franciſci Doi, qui in minuenda Senatus dignitate vnus omnium maxime laborabat, & quia vrbis præfectus erat gratiam à nuper reconciliatis & plebe ipſa hoc facto ſe initurum putabat, prenſationes apud regem tenuerunt, vt non expectato Harlęi reditu res præcipitaretur, quod incredibili cum dolore Harlæi accidit, qui factionis pernicioſæ ſemina omnino extirpandi tam præclaram occaſionem ſibi ademptam dolebat, & ea gratia factioſis animos ad priſtina conſilia olim reſumenda addi impatientiſſime ferebat. Doi interitus præter opinionem ſtatim ſecutus leniit dolorem, cum ſciſſa & imminuta illius præfecturæ potentia nemo eſſet, qui factionis intermortuæ igniculos in vrbe pati auctoritate colligeret. Exacti & ſub finem anni Ieſuiticæ Societatis ſodales, in eo negotio anxie verſatus eſt Thuanus, cum publicæ ſecuritati poſt tantum periculum omni ratione conſuli expeditum ac maxime neceſſarium putaret, & interea ægre ferret, ea re fieri, vt à Clementis Puteani Societatis illius Prouincialis, quicum artiſſimam colebat amicitiam, familiaritate diuelleretur: ventitabat is crebro ante caſum cũ P. Pithœo & Nic. Fabro ad Thuanum, & in pace publica cõſtituenda æquitatẽ animi ſummam prę ſe ferebat, vir alioqui doctiſſimus ſimul & eloquentiſſimus, & acerrimo iudicio pręditus: ſub id Carolus Lotaringus Guiſius cum rege in gratiam rediit. & condicionibus diſceptandis Thuanus cum Maximiliano Betunio Ronio delectus. quo facto ad ſtudia antiqua reuolutus in totum annum ſequentem impendit, ſcripto etiam carmine, ex quo palam fiebat, cIↄ Iↄ xciv.

quam inuitus & à calamitate publica ſeu prouocatus ſeu coactus in aulam veniſſet, & quam libenter eam, qua ab initio carere maluiſſet, occaſione oblata inde diſcedendi reliquiſſet, quod & heic inſeri placuit.

Aula vale Muſis inimica, aulaque miniſtri,
Quos coluiſſe pudet. quos memorare piget.
Rès tamen vt memorem, fumus, ſimulatio, fucus,
Fluxaque mentita relligione fides,
Et vox pectoribus, fraus & contraria menti,
Speque lucri fœda conciliatus amor,
Rebus & alterius macreſcens liuor opimis,
Pluſque ſua ſemper ſors aliena placens,
Et libertatis ſpecie qui fallit apertæ
Ipſe palam laudans clamque inimicus atrox,
Cunctaque monſtra adeo Stygio quæ Ditis ab antro
Extudit in pœnas ingenioſa ſuas
Gens humana, doli, technæ, fraudeſque valete,
Non ego vos poſthac turba profana colam.
Vt ne tegam ſpurco vilis latus aſſecla Lydo?
Carmina Virronis flagitioſa legam?
Furacis menſas ſecter paraſitus Amilli?
Suſtineam faſtus diues Apella tuos?
Vipereos patiar morſus impune Ceraſtæ?
Thaidos aut frontem nequitiaſq. feram?
Faſque habeam atque nefas vno ordine, ſitque vel huius
Aut huius potior, quam mihi iuris amor?
Ingenua illatam non vim virtute repellam?
Aut nullo offenſas murmure ferre queam?
O potius valeant felicis commoda vitæ,
Quicquid & hac redimi conditione poteſt,
Quam mea libertas turpi labefacta lucello
Aut intentata vique metuque minor,
In leges peccet patrias, tritumque relicto
Deuia virtutis calle ſequatur iter.
Sed bene habet, cura non ſollicitatus auara,
Non acri feruens ambitione larem
Deſerui, teſtor ſuperos, aut illicis aulæ
In foueam prudens me laqueoſque dedi,
Inuitus colloque obtorto raptus in aulam
Vos liqui caſtæ numina cara Deæ.
Tempore quo poſitis regina Lutetia caſtris
Ad Luparam rabie ſuſtulit icta caput:
Conata Henricum regnis detrudere auitis,
Exemploque vrbes traxit ad arma ſuo.
Tunc qui vitandos ſapientibus eſſe tumultus
Tutius & procul hinc rebar abeſſe mihi,
Me turbæ eripui, teque, ô Schomberge, ſecutus.
Aulicus hinc cœpi protinus eſſe cliens.
Nec mora legatus Borealeis mittor in oras,
Armoricique procul litus ad Oceani.
Scilicet vt cauſſam regni cauſſamque bonorum
Vnus apud multos nomine regis agam.
Spe trepidos animem, titubantia pectore firmem
Graſſantiſque premam ſemina dira mali.
Heic primum arriſit tanto fortuna labori,
Rotomagum noſtra rexque receptus ope eſt.

Inde mihi inuidiam, ſcio, magnam, odiumque creaui:
Quid facerem? res eſt imperioſa fides.
Ordine commiſſi mandatus muneris hic eſt
Emendicatus non mihi venit honos.
Iamque videbatur callum duxiſſe cicatrix,
Vulnus & in ſolidam iam coiiſſe cutem.
Acrior inſurgit violato fœdere prædo,
Regnandique modum neſcit habere furor.
Ergo coniurata iterum miſer exulo ab vrbe,
Aulicus & fieri cogor vt ante cliens.
Cum fugerem, quoties oculis poſt terga reflexis
Exciderunt mæſto talia verba mihi,
Principium atque moræ ſcelerata Lutetia belli
Alite non dextro tela retuſa rapis?
Magna quidem erga te generoſæ gratia gentis,
Multa, nec inficior, gloria, multus honos.
Sed quanto infauſti conſtabunt ſanguine amores,
Tanti pæne tibi gente carere fuit.
Sic ego. ſed venti inſtas rapuere querellas
In mare & auerſus Sequana ferre dedit.
Quid referam interea terra quot adire labores
Contigerit ſæuo quotque pericla mari,
Ad latus hærerem dum Gaſparis? vtile regi
Hoc ſeruate, oro, Dij patriæque caput.
Teſtis Aquitanæ luſtratus circulus oræ,
Quam rapido medius amne Garumna ſecat.
Teſtes Marologi manes & triſtia buſta
Et ſacer exuſta qui fluit vrbe liquor:
Rex Gabali & Mimate iugi, Oltæque fluenta
Mutatis toties prætereunda vadis
Atque Vticæ cunis, Mercere vrnaque recenti
Vrbs quam tergemina mole ſuperba magis.
Inde Forum Iuli deſcendimus, & rate curua
Verrimus æquorei cærula terga ſali.
Aeriaſque procul Nicææ abſcondimus arces,
Radimus & muros alta Saona tuos.
Marmoreæ tandem Genuæ ſtatione recepta
Subſtitit in tuta picta phaſelus aqua.
Moxque per Eridanum prono delabimur amne
In Venetum terras Hadriacoſque lacus.
Heic ego dum Pragam meditor, quo iuſſa trahebant
Vixiſſe Henricum fama moleſta refert.
Vt mihi vis animi menſque omnis corde receſſit
Brachia vt ex humeris tunc cecidere mea!
Publica tu moriens fregiſti commoda Princeps,
Gallia tecum vna tota ſepulta iacet.
Ergo complexu Schombergi auellor, iterque
Hinc mihi per Rætos Heluetioſque fuit.
In patriam donec redij miſerabilis hoſpes,
Exul, inops, ipſa nec bene mente valens
Et procul à ſtudiis, quo dure mihi durius omni eſt,
Hæc poterat tantis eſſe medela malis.
Rurſus at in turbas æſtu vehemente reſorbens
Torta Palatini me tulit vnda freti.

Ex illo iam nunc hiemes per quattuor aulam,
Atque nouus miles regia caſtra ſequor.
Quo ſpes ante alios & amor male fidus habendi
Ducebant trita per ſcelus omne via,
Noſtrarum huc rapiunt me deſperatio rerum,
Atque alibi nuſquam tuta reperta quies:
Damnoſuſque mihi patriæ puder vtilis vni,
Et nullo ſortis turbine læſa fides.
Cauſſa perorata eſt: ſuffragia libera de me
Poſteritas, præſens nam vetat hora, feret.
Tollite, ſi merui, veniam à me deprecor omnem,
Inuitus plectar ſi modo ſponte peri,
Non ego ſponte peri, magnum ſolamen in hoc eſt,
Cum pereas, culpa non periiſſe tuâ.
Sed non omnino peri, ſperare ſalutem
Rebus & integris pœnituiſſe licet.
Iamque adeo ad Muſas, atque otia blanda relabor,
Sera licet certa eſt quæ venit inde ſalus.

Anno exeunte legati Veneti longe honorificétiſſimo comitatu venerunt, aliquandiu in iti-
nere cômorati, & maiore quam pro more pôpa Lutetię excepti ſunt: & quia Thuanus ad eos
à rege orator deſtinatus erat, cum Andrea Huralto Meſſio exlegato obuiam miſſus & cum
iis dietim ác fere aſſidue manere iuſſus. hoc & anno Auguſtinus Thuanus Curiæ Pariſienſis
præſes optime meritam de rep. ac ſuis animam Deo reddidit, cui iam pridem ſucceſſor deſi-
gnatus Thuanus ſtatim ſuffectus eſt, tanta moderatione in noui honoris adeptione vſus, vt cũ
antea ſuperſtite patruo, dum Achilles Harlæus primarius præſes cum eo Lutetiæ carcere de-
tineretur, inſtante quantumuis rege Cæſaroduni eo munere defungi recuſaſſet, ſicuti in ſupe-
rioribus demôſtratum eſt, tunc eo mortuo non priuſquam poſt iuſta perſoluta & rite condi-
tos manes Senatum ingredi voluerit. eodem anno in negotio Condæi Principis tunc pueri &
illuſtriſſimæ parentis, quæ ob viri dubiam mortem peri litata fuerat Thuanus, qui iam ante
vtrique ſedulam operam nauauerat, officioſe admodum laborauit, & poſtquam vterque regis
iuſſu ad vrbem adducti ſunt, quicquid ad eorum dignitatem & ornamentum pertinebat,
quod id ad regis regnique res conſtituendas pro tempore conducere exiſtimaret, in aula & in
Senatu diligenter procurauit, ea re in ſuſpicionem ab inuidis in aula adductus, fideli opera
ſua meruit, vt malam gratiam vtrinque reportauerit. quod ipſi diu poſt nocuit, ſed eo mino-
re ſenſu, quod gratiæ, quam cuncti in aula tam anxie aucupantur, & rerum externarum ia-
cturam parui æſtimare ſit ſolitus, idoneam ſcilicet exantlatorum laborum mercedem eam
reputans, quam in bona conſcientia repoſitam habet. vt res facilius conficeret, neque Prote-
ſtantes remoram negotio interponerent, antequam ad Condæum Ioannes Viuonius Piſanij
marchio fanum Ioannis Engeriaci proficiſceretur, edictum ex Niuernij ſententia ad Ger-
mani fanum conditum & in Senatu procurante Thuano promulgatum fuit, quo ca-
put XIX edicti anno LXXVII publicati de Proteſtantibus ad honores publicos admittendis
ampliari placuit, idque ſine condicione locum habuit. id quia ſe audito non etiam poſtulan-
CIↃ IↃ XCVI te factum ab omnibus intelligi cupiebat cognitor regius, ex eo ſuſpicio Proteſtantibus inie-
cta, quaſi à prioribus edictis diſcedendi occaſio quæreretur. itaque noui edicti anno ſequenti
condédi neceſſitas regi impoſita. nã cum in Farę ad Eſiam obſidione hæreret, Proteſtantes li-
bello oblato amplius ſibi caueri intempeſtiuo maxime tempore petierunt, & prudentiſſimus
princeps vt tumultus periculoſi tempeſtatem auerteret, mature conſulendum ratus, nec con-
uentum eorum inhibendum cenſuit, & qui in conuentu de capitibus propoſitis cum ipſis di-
ſceptaret, fidum è côſiliariis mittédum. is fuit Thuanus, qui nihil tale cogitans domi in ſcri-
ptione totus occupabatur, & poſt quinquennalem honorum omnium ſpoliationem in rebus
domeſticis ordinandis laborabat. mandatis acceptis iubebatur, etiam inſalutato rege in viam
ſe dare & Louiodunum in Pictonibus proficiſci verum ille qui ſummam ingratitudinem huc
vſque à quibus minime debuerat, expertus eſſet, ſe excuſare apud regem & Villaregium qui
mandatis ſubſcripſerat. iam tum ſcilicet ille præſagiebat, huius negotij, quod tantæ molis ac
momenti, vt ſunt inter nos res, reputabatur, procurationem ſibi aliquando fraudi futuram, ex
eoque inuidiam Romæ, apud ſuos periculum à maleuolis creatum iri. cum ſemel atque ite-
rum Schombergij amiciſſimi ſibi, qui Lutetiæ ægritudine detinebatur, aduocatione im-
plorata ſe excuſaſſet, Villa-regius contra inſtare, & apud Schombergium peruince-
re, vt omiſſa omni tergiuerſatione Thuanus negotium, quod regis per i-
pſum, vt aiebat, neque tamen rationes addebat, adminiſtrari intererat, quam primum
ſuſcipe-

ſuſcipetet. cum nibil in Schombergio ad excuſandum ſe præſidij reperiret Thuanus ad Nicolaum Harlæum Sancium, qui tunc ærarium adminiſtrabat, antiquum amicum & adfinitate ſecum aliqua coniunctum ſe contulit, cuius fauote & interuentu apud Ragem meruit, vt ab hoc onete excuſaretur eiuſque loco à rege delecti Mericus Vicus & Sofredus Calignonus Nauarræ cancellarius. ipſe cum Schombergio in Turones proficiſci iuſſus, vt corã Aloiſia regina defuncti Henrici III vidua cum delegatis Mercuriani fratris de pacis condicionib. ageret. poſt aliquot dierũ diſceptarionem Andegauũ itum. ibi Thuanũ nuntius oppreſſit mortis P. Pithœi viri & conſiliorũ & ſtudiorum conſenſione ſibi cõiunctiſſimi, qui ſcribendæ hiſtoriæ auctor ipſi fuerat, quo perculſus parum abſuit, quin ea quæ iam fecerat, cõcerperet, tanto adiutore deſtitutus, & opus omnino relinqueret. ad aliquot certe dies publico abſtinuit, & multũ de priſtina hilaritate remiſit, cũ ducẽ ſtudiorũ vndiq. circonſpiciens fruſtra requireret, nec reperiret. nã ad hoc quod inſtituerat, pręcipue eius opera vtebatur, vt pote qui magnã rerum noſtrarũ notitiã habebat, & ſubactũ maxime iudiciũ ad eas adhibebat, veriq. ac recti incorruptũ amorẽ rara prudẽtia & æquitate tẽperabat. res Henrico II geſtæ eo ſuperſtite ſcriptę & ab eo in parte recognitę & emẽdatę. & cũ viuere deſiit, earũ exẽplũ penes ſe habebat. aliis amicis philologis ad alia vtebatur. Andegauo Cęſarodunũ cum Schõbergio reuerſus ad Iacobum Gillotũ antiqui moris Senatorẽ, qui eũ per literas ſolatus erat, ſcripſit. & cum ad Caſaubonũ ſcribendi occaſio ſe obtuliſſet, literas ad eũ dedit, quib. vt in recẽti tãtę iacturę ſenſu conceptũ dolorẽ quib. potuit verbis in ipſius ſinum veluti effudit, quarũ exemplũ inter ſcidas eius tepertũ inſeri pretiũ viſum eſt, vt ex iis quanti virũ illũ fecerit quantãq. ex eius amiſſione animi ægritudinẽ ſenſerit cunctis appateat. Iacobus Auguſtus Thuanus Viro Doctiſs. Iſaaco Caſaubono S.D. Cum nuper Andegaui eſſẽ eo Armoricę pacificãdę cauſſa cũ V.C. Gaſpare Schõbergio Nãtolij Comite à rege miſſus triſtẽ de P. Pithœi morte nunciũ accepi, quo vt par erat, quod pręter ſpẽ & opinionẽ omnẽ accidiſſet, cũ animo vltra modũ cõſternatus fui, tũ quod nullus adeſſet, qui tãtã iacturã ſatis ęſtimaret, & in cuius ſinũ cõceptũ ex ea dolorẽ deponere poſſẽ, inſolabiliter dolui, pęne vt mei oblitus, muneris quoq. ac dignitatis obliuiſceter. nec vero apud te animi mei impotentiam aut mollitiem excuſabo, quod tanto dolori ſuccubuerim. quippe cum huiuſmodi ſit, qui in cõſtantiſſimum virum cadere potuerit. nam qualis quantuſq. vir fuerit Pithœus, ſatis ipſe per te ſcis, qui illũ ex facie nunquam nouiſti, ſciũt & qui longiore locorum intercapedine à nobis abſũt, quo minus te miraturũ arbitror, ſi ij, qui virũ familiariter nouerunt, & eius amicitia ac iucũda conſuetudine diu vſi ſunt, eius quoq. mortẽ impatiẽtius ferũt. nã quid amicitia pij iuxta ac ſapiẽtis viri & ſupra quã humano ingenio capi poteſt eruditi iucũdius? ſi quidẽ pręter rarã & exactã ſcientiã atq. omnis antiquitatis atq. Eccleſiaſticę imprimis iuris noſtri, ac literarũ cognitionẽ in eo erãt mores probiſſimi & ab omni fuco & ambitione alieni, tũ ſũma in rebus agẽdis peritia ac prudẽtia. in publicis vero negotiis perſpicax & futuri prouida mẽs, vt quãuis priuatã vitã degeret, ab eo tamẽ ij, qui ciuilis adminiſtrationis clauũ apud nos tenẽt, tanquã ab oraculo veluti reſpõſa peterẽt, & ſe in cõſiliis capiẽdis inſtructiores & cõfirmatiores exiſtimarẽt, quotiẽs eum conſultorẽ aut conſiliorũ ſuorũ approbatorẽ adhiberẽt. adeo nihil magni nihil ſerij à magnatib. noſtris viris bonis pro ſalute regni priuarim in aula aut in vrbe agitabatur, aut palã in deliberationem deducebatur quod prius cum eo cõmunicatum ac diſceptatũ non fuiſſet. quę omnia ij, qui illũ non viderũt, neſciunt, cũ alioqui Pithœi nomẽ minime ignorẽt. me certe ipſius amicitia, quãdiu ea frui licuit, felicẽ, nunc poſt eius mortẽ vnico ſtudiorũ meorũ & conſiliorũ duce & adiutore orbatũ tantus adflixit dolor, vt parum abfuerit, quin ſtatim ſtudiis omnib. & reip. adeo ipſi, cui me in aliqua parte inſeruire voluit Deus, ſummũ vale dixerim, niſi me eius ipſius, ex cuius amiſſione tantũ dolorẽ ſentio, pręclarę voces, quę adhuc animo meo inhęrebãt, reuocaſſent. nã in mẽtẽ veniebat illũ, cũ me de rep. deſperantẽ ac plane animo deiectũ videret, hac ratione ſępe erigere ſolitũ, cum diceret, quãuis haut paulo melius ipſe de regni ſtatu ominaretur, boni ciuis ac ſtrenui militis eſſe ſtationẽ à ſummo imperatore mandatã vel deploratis rebus minime deſerere. enim vero is vir, vt verbo dicã, publico bono natus & magnitudine animi atq. ingenij vniuerſã rerũ ſcientiã, ac negotiorũ publicorũ exactã cognitionẽ admirãda prudẽtia cõplexus nullũ tẽpus à ſeriis occupationib. vacuũ elabi ſinebat, quo vel editis antiquitatis monumẽtis diligẽtia ſua erutis & induſtria illuſtratis poſteritati conſuleret, aut aliorũ conatus ac labores in cõmune vtileis adiuuaret, vel prudẽtia deniq. ac cõſilio ſuis prodeſſet. quo magis eos, quib. ingeniũ largitus eſt Deus, eniti decet, vt tã laudabilẽ bene de publico merẽdi volũtatẽ ęmulẽtur, & eadẽ opera ſũmi viri memoriã apud poſteros cõmẽdẽt. te vero Caſaubone vir doctiſſime ille ſũmopere inter omneis ſẽper dilexit, & vnũ ſeculo hoc eſſe dicebat, qui literarũ per bella ciuilia exulãtũ accisã ſpẽ excitaret, neq. nos de iis plane deſperare ſineret, ac memini ſane, cũ de literis inter nos ſermo eſſet, & oſtẽderẽ ei Scaligeri noſtri literas, quib. te hodie principẽ inter literatos locũ vel fatẽte inuidia obtinere ſcribebat, tãti viri de te pręconio illũ magnopere gaudere ſolitũ, ac lętari, quod te Deus aduerſus imminẽtẽ barbariẽ, ſic enim loquebatur, oppoſuiſſet. itaq. mihi auctor fuerat, vt te ad profectionẽ ad nos adornãdã inuitarẽ, quod & ipſe crebris ad te datis literis, vt puto, fecit. ſperabat enim vir humaniſſimus & qui nihil aliud ante

oculos niſi commodum publicum propoſitum haberet, ex mutua communicatione non mediocrem in publicum emanaturam vtilitatem,& ſe effecturum, vt te conſuetudinis familiaris ac colloquij non pœniteret. nam ille permulta habebat, quæ aut propter iam inclinatam ætatem aggredi,aut mole negotiorum præpeditus non poterat , quæ tibi iuueni & ab occupationibus magis vacuo traditurus erat,quæque ipſe libéter,vt exiſtimabat,eſſes ab eo accepturus. nunc illa partim morte eius omnino interciderunt, partim ita confuſa ſunt , vt niſi à Nicolao Fabro viro optimo & ipſi amiciſſimo , quicum ille his calamitoſiſſimis temporibus in vrbe coniunctiſſime vixerat , & qui propterea magnam eius conſiliorum notitiam habebat , à nemine colligi ac ſarciri , & ad opus , vt publice proſint , perduci non poſſint. quod vt ille aggredi aliquando velit , non ceſſabo hortationibus crebris contendere. ne moleſtum interea tibi ſit doloris noſtri verboſius fortaſſe explicatas cauſſas intellexiſſe, & qua humanitate es eum,cui te participaturum certo ſcio ſcriptis apud poſteros conteſtari. nam ſi quis alius hoc æuo , certe is dignus fuit , cuius memoria per ſe ſatis clara honorificis ſuperſtitum clarorum virorum præconiis apud poſteros celebretur. quod vt ipſe facias, namq. potes, & alios,ſi qui poſſunt,vt id faciant horteris, te etiam atque etiam rogo. vale & me de tuis ſtudiis ac rebus crebro certiorem fac,tibique perſuade in hoc miſeriarum humanarum ſalo conflictantem me nulla maius ex re ſolatium capere poſſe,quam ex tuis literis.iterum vale. Cæſaroduni Turonum VII. Kal. Xbr. anno S. CIƆ IƆ XCVI tota hiems in irrito pacis cũ Mercuriano negotio exacta fuit. interimque Vicus & Calignonus Proteſtantium noſtratium diſceptandis condicionibus præpoſiti cum fruſtra itidem laboraſſent, Rotomago Cæſarodunum ad Schombergium venientes diploma à rege attulerunt , quo Schombergius ipſe & Thuanus commune illorum negotium adiuuare iubebantur. id cum minime recuſaret Schombergius, quanquam inuitus faceret Thuanus, vt negotio ſibi inuidioſo, quo ſe ab initio excuſauerat, ſe immiſceret, tamen à Schombergio, à quo nunquam dum vixit res ſeparatas habuit , diſſentire noluit,& negotium ſuſcepit,quod tandem adhuc indeciſum in humeros ſolius ipſius & Calignoni incubuit, Vico Lugdunum à rege miſſo,& Schombergio in Armoricam profecto , vt nectente moras in dies Mercuriano res ſerio ad bellum pararet. ad Salmuriam & Eraldi-caſtrum conuentus agebatur, & interdum delegati Cæſarodunum conueniebant, vt Aloiſiæ re-
CIƆ IƆ XCVII. ginæ,quæ Cenoncellis erat,dum per interualla Mercurianus ſuos mittebat,præſto eſſent: ibi nuncius de Samarobrina Ambianorum intercepta ad Schombergium incertus initio mox & à rege venit,non ſolum cum publico mærore acceptus,ſed cum ſingulorum deſperatione, qui cum de ſalute vniuerſa male ominarentur , ſibi conſulere priuatim expeditum ducebant:ipſi Proteſtantes & primarij eorum duces cum aliis non religione,ſed calamitatis publicæ neceſſitate conſilia ſociabant non conſulto rege,quod,quantumuis repugnaret Thuanus , clam illo & Schombergio faciebánt.totus annus in expectatione tantę expeditionis ad recuperandam Samarobrigam ſuſceptæ ſuſpenſus hinc triſtitia,hinc ſpe animos dubios implebat , quæ regis fortitudini ad extremum reſpondit , recepta vrbe & pacato limite. quo ſucceſſu infracti toto regno hoſtium conatus,& Proteſtantes,qui eo res adductas antea rebantur, vt quiſq. ſibi priuatim,ſi ſe ſaluū vellet,conſulere teneretur, à rege victore cõdiciones tãdem accepere;quippe ſub quo publicam ſecuritatem cõſtitui poſſe non iam deſperarent. incerto adhuc obſidionis euentu ſæpius monuerat Bullionium & Tremollium Thuanus,vt copias conſcriberent,& cum delectis in caſtra ad regem proficiſcerentur,alioqui fore,vt edictum, quod pleriſq. capitibus ampliatum vrgebant, in publicum odium incurreret, & regni Curias,in quib. promulgari debebat, infeſtas haberet. verum reb. vbique perturbatis ſic erant affecti omnium animi, vt nec ſalutaria ſuadentibus aureis præberent,nec ipſi recta conſilia rebus ſuis caperent:itaq. alter per Lemouices coactis ex regia pecunia copiis in Aruernos & Gabalos,vbi tunc Momorantius Foſſa bellum excitauerat,deflexit, alter in Pictonib. lectum itidem regia pecunia militem inutiliter retinuit,& neuter regi præſto fuit. quod ad animum cum Rex non citra rationem reuocaſſet,eius rei tenacem memoriam nunquã poſtea ex animo depoſuit.& ipſe Thuanus,cum eos cum quib. tam ſæpe & animoſe coram altercabatur,per literas excuſaret,& propterea regi minus gratus,& in edicti promulgatione magnã inuidiam ſuſtinuit. cum autẽ illos apud regem & alios palam excuſabat,non eo animo faciebat,vt eorum gratiam aucuparetur, quos in arcano liberius increpitare ſolitus erat, ſed quod vereretur, ne paucorum culpa,ſi in maius extolleretur,negotio,quod ad publicam tranquillitatem ſummopere ſpectare Rex ipſe iudicabat,conficiendo remorã afferret. nam qui factionis nõdum extinctæ igniculos in occulto colligebant, inde exagitandorũ Proteſtantiũ quaſi à fortuna oblatam occaſionẽ arripiebãt, & magna inuidia illos atq. adeo ipſos regis delegatos quaſi fauore in eã partẽ propendenteis onerabant,& ad illuſtriſs Legati Cardinalis Florentini,qui Lutetię erat,aureis aſſidui importunas querelas ſuas deferebant, vt non plus illi in diſceptandis cõditionibus, quam in aula cũ infeſtis,& apud populum ac poſtremo in Senatu laborandum fuerit, vt illæ approbarentur & reciperentur. qua in re Thuanus Illuſtriſſimi legati æquitatem ac moderationem nõ vulgariter laudabat,qui iuſſus à rege quotiens ad cõuentus proficiſcebatur, quod ſemel atq. iterum accidit,cum eo agere, & rationẽ quorundã controuerſorũ capitũ reddere ſummũ candorẽ in

eo

eo expertus eſt.nam nec delatas ad ſe multorum querelas diffitebatur, ſed ſic eas accipiebat, vt ſe in alieno verſari meminiſſet,& rei publicę curá iis,quorũ prudentię à rege cõmiſſa erat, liberá relinquendam eſſe exiſtimaret.itaq. cum ab eo diſcederet Thuanis, ſumma non ſolum beneuoli animi ſignificatione ſed fiducia dimitti ſe ſentiebat, vt nihil in eo negotio perageretur,niſi quod rerum conditio & regni tranquillitas exigeret:neq.plus gratiæ quá neceſſitati temporum à rege & eius delegatis tribueretur.ſub tempus deditæ Samarobrinæ Thuanus cũ Vico per diſpoſitos equos in Ambianos profectus eſt,vt condiciones cum Proteſtantib.diſceptatas regi oſtenderet,qui tunc in Atrebates excurrerat, & dum ad Durlanium ſederet,ad eas reſpondit.tunc & à Villaregio cum Ricardoto præſide cõdictus locus & tẽpus colloquio,quo de pace inter reges ageretur.nec multo poſt illuſtriſſimus Legatus Veruinium ad colloquium profectus eſt,quo & à rege miſſi Põponius Belleuræus & Nicolaus Brullartus Silletius, vt cum Philippi delegatis capita cõferrent:negotium ab anno hoc in ſequentem extractum, quo rex CIϽ IϽ XCVIII ordinatis reb. in limite & Samarobrinæ relicto Henrico Momorantio E. M. in Andeis venit, cum armato ſed exiguo cõmitatu,& Salmurię Bullionium ac Tremollium Chinone venienteis perbenigne, ſic enim cõuenerat,excepit & Andegaui vltimá manum edicto impoſuit, quod tamen aliis ſubinde ſuborientibus difficultatibus, non prius quá Cõdiuicini omnino finem accepit,ab eoq. Namnetenſe dictum eſt.antequá rex adueniret,quædam quanquá leuia Chinone & Salmuriæ, quo Thuanus cum Calignono venerat, inciderunt,quę priuatá & interiorem vitá eius ſcribenti non omittenda viſa ſunt.Chinone hoſpitium habebat in domo oppidi ampliſſima,quæ quondá Franciſci Rabelæſi fuit,qui literis Græcis latiniſq.inſtructiſſimus,& medicinæ,quá profitebatur,peritiſſimus,poſtremo omni ſtudio ſerió omiſſo ſe totus vitæ ſolutæ,ac gulæ mancipauit.& ridendi artem hominis, ſicuti ipſe aiebat, propriá amplexus,democritica libertate & ſcurrili interdum dicacitate ſcriptum ingenioſiſſimum fecit, quo vitæ regniq. cunctos ordines quaſi in ſcenam ſub fictis nominib. produxit & populo deridendos propinauit. hominis ridiculi qui tota vita ac ſcriptis ridendi aliis materiam præbuit,memoria à Thuano & Calignono heic renouata eſt, cum belle cum Rabelæſi manibus actum vterq. diceret,quod domus eius publico diuerſorio, in quo perpetuæ comeſſationes erant, hortus adiacens ad ludum oppidanis per dies feſtos ſe exercentibus, proiectum in hortum deſpiciens, in quo cum literis operam dabat, libros habere & ſtudere ſolitus erat, vinariæ cellæ inſeruiret, ex eaq; e occaſione Thuanus à Calignono inuitatus hoc carmen extemporaneum fecit:

Ipſe Rabelæſus γελωτοποιός loquitur.

Sic vixi,vt vixiſſe mihi iocus, atque legenti
Quos viuus ſcripſi ſit iocus vſque iocos.
Per riſum atque iocos homini data vita fruenda
Inter amareſcit ſeria felle magis.
Et nunc ne placidos lædant quoque ſeria maneis
Cauit Echionij prouida cura Dei.
Nam quæ à patre domus fuerat Chinone relicta,
Qua vitreo Lemouix amne Vigenna fluit,
Poſtquam abij, communis in vſum verſa taberna
Lætifico ſtrepitu nocte dieque ſonat.
Ridet in hac hoſpes pernox, ridetur in horto,
Cum populus feſto ceſſat. in vrbe die,
Tibiaque inflato ſaltanteis incitat vtre,
Tibia Pictonicos docta ciere modos.
Et quæ muſæum domino, quæ cella libellis,
Nectareo ſpumat nunc apotheca mero.
Sic mihi poſt minimum vita tam ſuauiter actum
Dent hodie ad priſcos fata redire iocos,
Non alia patrias ædeis mercede locare,
Vendere non alia condicione velim.

Quæ Chinone eodem tempore interuenerunt, magis ſeria ſunt. Bellomontius quidam nomine nobili loco, vt aiebat natus, Engoliſmæ reus magicæ impietatis peractus & damnatus Senatum appellauerat. cum duceretur,ab illuſtri matrona harum rerum plus iuſto curioſa Chinone retentus fuit, eoque loco totum fere biennium quaſi in libera cuſtodia manſit, quo tempore multa naturalem rationem ſuperantia dixiſſe & feciſſe memora-

batur. itaque Ægidium Sovræum Turonum præfectum, qui tum forte Cæſaroduno illuc venerat, hominis videndi & ſcitandi deſiderium inceſſit, & à Thuano præſide, vt coram ſiſteretur, impetrauit. cum inſtaret Sovræus vt & reus interrogaretur, excuſauit ſe Thuanus; quod prouideret fore, vt ipſe qui capitalium rerum claſſi in Senatu præerat, eum ex muneris neceſſitate aliquando interrogaret. itaque hoc oneris in ſe Calignonus ſuſcepit, vir bonis literis egregie inſtructus, & in Philoſophia ac Mathematicis artibus ac deniq. iuris ſcientia verſatiſſimus, ad hæc ſollerti admodum ingenio præditus, qui poſt quæſita, quæ vulgo à cæteris reis quęri ſolent, de principiis, ratione, præſtantia, profeſſoribus magiæ, effectis, & rebus à ſe geſtis, ante & poſt ſententiam Bellomontium grauiter interrogauit, dum Sovræus & Thuanus verſa ad feneſtram facie, ne conſpicerentur, ambo laterent. tanta autem lenitate Calignonus ſe inſinuauit, vt reus qui ſibi iam liber videbatur, fiduciam ex eo ceperit, & multa vltro confeſſus ſit, quæ poſtea Lutetiæ in iudicio, vbi ſe ſpe ſua ſalſum vidit, aſſeueranter pernegauit. ſic autem ex colloquio illo verius quam in iure interrogatione comperiebat Calignonus, magiam, quam profitebatur Bellomontius, dæmonum, qui numinis diuini particula ſunt, cum hominibus conciliatricem artem præclaram eſſe ad beneficium inuentam non ad maleficium, quo Sortiarij qui vocantur, vulgo vtuntur, ipſi malorum ſpirituum vilia mancipia in craſſam ignorantiam demerſi, & veneno ac diris faſcinationibus eorum arbitrio perniciem humano generi machinantas, cum contra magi ipſis dæmonibus imperent, & eorum conſortio ac familiaritate arcana naturę vulgo ignota nec libris prodita cognoſcere, futura rimari, mala declinare, pericula anteuertere, amiſſa recuperare, corpora citerius quam humana ratione fieri poſſit, de loco in locum transferre, diſſidentes componere, patres cum filiis, vxores cum maritis, & amicitiam cum iis quibus debet, conciliare diſcant, denique ſibi rem cum aeriis ſpiritibus & cælo participantibus eſſe, qui natura benefici nihil niſi iuuare ſciunt, cum terreſtres & ſubterraneá incolentes, qui Sortiariis imperant, ſint maligni & nocere tantum nouerint: tam præclaræ artis ſcholas toto terrarum orbe ac profeſſores ſparſos, & adhuc in Hiſpania Toleti, Cordubæ, Granatę, aliiſque locis frequentari, fuiſſe olim & in Germania celeberrimas, ſed magna ex parte defeciſſe, poſtquam Lutherus ſeminato hęreſis ſuę fermento, tot ſectatores habere cepit. in Francia & in Anglia in nobilium quorundam familiis per manus in arcano traditam nunc etiam vigere, ſed tantum initiatos ad hęc ſacra admitti, excluſis profanis, ne tam digna myſteria in vulgus & ad indignos emanent. tum quę ipſe geſſiſſet, mira narrabat, ſine cuiuſquam noxa, & tantum ſuam operam depoſcentium bono. hęc cum diceret, tantam in vultu conſtantiam prę ſe ferebat, vt in ſumma artis vanitate & impietate tanquam certo comperta aſſeuerare videretur, & quod faceret, minime rem vetitam ſe exiſtimare oſtenderet. inde in arcem reductus arctiore cuſtodia Thuani iuſſu cuſtodiri cepit, & Sovręus qui aderat, hominis peruicaciam admiratus auctor illuſtri matronę illi fuit, vt reum, quem tanto tempore detinuerat, Lutetiam ducendum curaret. quod & ſtatim factum, antequam Thuanus in vrbem rediiſſet, vbi non eadem quę coram Calignono confeſſus, ceterum ex probationibus Engoliſmę confectis conuictus dignum flagitioſa vita exitum habuit: eum in Namnetibus rex adhuc eſſet, à Ioanne Valeto & Ioanne Talueto viro è nobilitate Armorica admodum ſtrenuo, qui prefecti caſtrorum munere diu apud Mercurianum ſumma cum laude defunctus fuerat, Coſmus Rugerius tunc factis addictus ad regem delatus fuerat, quaſi ipſius vitę deteſtandis magię artibus perniciem molitus eſſet. nam in arce Namnetenſi ſpecie pingendi cellam peculiarem habuiſſe, in qua ceream imaginem, quę regis ſpeciem referebat, diris epodis excantatam cottidie acu figebat, eaque ſe fore ſpem fecerat, vt rex mortifero languore ſenſim abſumeretur. libello ab accuſatoribus ſubſcripto rex Thuanum & Carolum Turcantium delegauit, qui de crimine quęrerent; Is Coſmus erat, qui ante XXV. annos paullo ante Caroli IX. mortem in coniuratione tunc detecta captus & ob eaſdem maleficas artes tortus fuerat. in iure interrogatus cum hoc illi à Thuano reponeretur, iniuria ac calumnioſe ab inimicis id ſibi obiectum reſpondit, & innocentia ſua iudicibus approbata ſe honorifice dimiſſum; ob id autem pleriſque ſuſpectum fuiſſe, quod aſtrologię peritus certiorem ac ſibi cum paucis cognitam natalium horarum conficiendarum ſcientiam calleret, cuius ope ac ductu cum multa multis prędixiſſet, in eam veniſſe opinionem, quaſi occulta cum malis ſpiritibus familiaritate hęc didiciſſet. nihil niſi ex arte factum, quę ſi aliquando reſponderit, male ſibi propterea colligi, quidquam imputari poſſe. quam vero alienus ſit eius animus à crimine obiecto exiſtimari debere ex affectu pręcipuo, quo regem à tot annis ſit proſecutus. nam cum poſt tumultum Pariſienſem in aula conſultatum eſſet, quid de Nauarro & Condęo, quos rex in poteſtate habebat, regni bono faciendum eſſet, Catharinam parentem à ſe, cui multum tribuebat, petiiſſe ut horas nataleis ipſorum conficiſſet, & eum confeciſſe diceret, & ex arte neutrum res deinceps in regno turbaturum affirmaſſet, à captis iam in eorum perniciem conſiliis diſceſſum eſſe, id ſe iam tum F. Lanouio, qui in aula erat, inſinuaſſe, vt

Nauarro

Nauarro & Condæo clam renunciaret, muneretq. ſuo nomine, ita ſe erga Regem & Katha- CIↃ IↃ XCVIII
rioam in poſterum gererent, vt fidem dictis ſuis adſtruerent, eademque via ſaloti propriæ
conſulerent. id autem non tam ex arte, quam adfectu erga ipſos bene animato fecilſe, qoip.
pe eum res eiuſmodi eſſet, vt per aſtrologicæ artis rationem præſtari non poſſet. credere ſe
Regem tanti beneficij memoriam minime depoſuiſſe ac confidere, vt potius eius rationem
apud generoſum animum ſuum ſit habiturus, quam commiſſurus, vt plus calumnioſis dela-
tionib. tradita obliuioni præteriti temporis recordatione, quam certis adeo bonæ voluntatis
teſtimoniis tribuiſſe dicatur. hæc cum ad Regem retuliſſet Thuanus, ille poſt aliquot deam-
bulationes recordari ſe dixit, Lanouium ea de re ſecum tunc temporis egiſſe, ceterum ſe Dei
præſidio tutum parum curare maleficas huiuſmodi præſtigias, quæ in eos taotum valent, qui
certa in Deum fide deſtituuntur. itaque intermiſſa vlterior in Coſmum inquiſitio, & ipſe
libertati reſtitutus fuit, & in artam familiaritatem eum gynæceo venit, cuius fauore à Rege,
cum hæc diceret, iam gratia in arcano facta fuerat. hæc eo pluribus explicare viſum, quod in
libris Hiſtoriarū non publicatis cum ob certas cauſſas omnia eſſent, homo impudētiſſimus
ac perditiſſimus poſtea auſus eſt palā dicere, quæ ad annum LXXIII de Coſmo Rugerio com-
memorantur, ad ſe minime pertinere, ſed Thuanū olitoris cuiuſdam cognominis tunc po-
ſtulati errore allucinatum eſſe; eoq. væſaniæ venit, vt emendicato ſtipendio in aula obtinue-
rit, vt ſcribendæ hiſtoriæ munus ſibi demandaretur. atqui ex confeſſionib. ipſius manu ſub-
ſcriptis, quæ penes Carolum Turcantium virum incorruptæ probitatis adhuc manent, con-
trarium conſtat. nam & iis eundem ſe eſſe minime diffitetur, ſed per calumniam accuſatum,
& poſtea honorifice, ſicuti iam dixi, dimiſſum; in quo curſus inſigniter mentitus eſt, nam
ex archiuis Curiæ itidem conſtat, eum poſt quæſtionem ad triremeis damnatum eſſe, ſed
aulicorum in hoc hominum genus prono fauore pœnam ten illam fuiſſe, & cum du-
ceretur, vinculis exemptum in aula ſtatim comparuiſſe. cum hoc ſcirent, impudentiſſimi
calumniatores qui Thuani famam per omne nefas laceſſendam ſibi propoſuerant, non au-
ſi ſunt negare, Coſmum qui Carolo Rege ob magicas artes tortus fuerat, eundem eſſe, eum
eo, qui Condiuicini Henrico IIII Rege ob idem maleficium poſtulabatur, ſed nequam ex
agitandi Thuani occaſionem prętermitterent, hoc in eo reprehenderunt, quod hominem fa-
cris addictum deteſtandi criminis inſimulare maligne adiectaſſet. atqui cum Coſmus pri-
mum torquebatur, minime ſacris addictus erat. & cum à Thuano aſtrologia ſua, quæ iudi-
ciaria eſt, illi vt impia, & Chriſtiano atque adeo ſacerdote indigna obiiceretur, ipſe ſe quibus
potuit verbis etiam eleuata ea, excuſauit, & inter alia adiecit ac religioſe affirmauit, ſe poſt-
quam ſacris addictus eſſet, quod diu poſtea fuit, nunquam naraleis cuiuſquam horas conſe-
ciſſe, ſicuti ex iis quas dixi confeſſionibus apparet. An vero maligne Thuanus, cum res geſtas
traderet, de Coſmo illo ſenſerit, exitus flagitioſi hominis ſane deplorandus abūde ſidem fe-
cit, cum ille qui ſumma diſſimulatione vixerat, in extremis conſtitutus alienū ſe à Chriſtia-
na fide oſtendit, ac proinde ſacræ, quæ fidelibus ab Eccleſia impertiri ſolet, abſolutionis mi-
nime particeps, etiam extra Chriſtianorum communionem poſitus non ſine publica offen-
ſione & magna eorum, qui nefandum præſtigiatorem in aula cōmendatione adiuuabant,
loco profano abiectus fuit. in opere cepto pergebat ſemper Thuanus quantum temporis à
negotiis aulicis ſuffurari poterat, & Namnetenſi edicto tandem poſt multas & varias, quę
priuatos reſpiciebant, difficultates ad exitum perducto & ſigillo firmato, ipſe cum Cali-
guono collega coniunctiſſimo venia ab Rege prius quā ex Armorica diſcederet, perita am-
bo Lutetiam venerunt exeunte Maio. è re eſſe pleriſque videbatur, antequam factio he-
nerica edicto in occulto aduerſa poſt tot proſperos ſucceſſus, quibus oppreſſa tandem in ſi-
lentio iacebat, vireis colligeret, & nouas ex ea occaſione tragœdias excitaret, in Senatu pro-
mulgatio vrgeretur, & ita cenſebat Thuanus, vt protinus confecto negotio, animi, ante-
quam mora commouerentur, voluntati Regis acquieſcerent, & ſub lege pacis ab optimo
ac prudentiſſimo principe condita cuncti regni ordines viuere deinceps inſueſcerent, ſed
legati tam bene de rebus noſtris meriti auctoritas intercesſit, renuitque, vt poſt diſceſſum
ſuum promulgatio ſuſpenderetur. idq. ne ſecus interpretarentur Proteſtantes, Bullionius
in ſe recepit. itaque res in annum ſequentem dilata, & poſt varias & longas altercationes CIↃ IↃ XCIX
tandem carniſpriuij die promulgatum edictum. ſuborituras poſt tantam moram graueis
difficultates quia apparebat, quibus ſoluendis Thuani, qui negotio interfuerat, præſentia
opus erat, ille qui ad ſereniſſimam remp. Venetam legatus deſtinatus erat, domi retentus,
& eius loco Antonius Segnierius præſes miſſus. cetera quæ ad edictum illud pertinent,
amplius CXXII Annalium libro non edito perſcripta ſunt. quo anno Thuanus ex trium
illuſtrium virorum & cognatione ac conſiliorum conſenſione coniunctiſſimorum morte
Gaſparis Schombergij comitis Nantolij, Philippi Huralti Ceuernij Cancellarij, & Ioannis
Viuoni Piſianij marchionis grauiſſimum longe dolorem ſenſit. quod in Hiſtoriarum libris
de concilio Tridentino quoniam exitum tunc non habuit, verbo tantum tangitur, amplius
heic ex Thuani aduerſariis eſt explicandum. poſt edictum Namnetenſe in Proteſtantium
gratiam conditum & in Senatu promulgatum, multa inciderunt, quæ ſummo odio nec mi-
nore inuidia res Regis ex ea occaſione onerabant, ad quæ lenienda pretium videbatur, vt

CIↃ IↃ XCIX aliquo inſigni facto catholicis atque adeo Henoticæ factioni, quæ Catholicos periculo ſuo accendebat, iactura, per gratiam Proteſtantibus factam ſicuti iactabant, accepta reſarcire-
tur: itaq. toties ante agitata & hactenus eluſa Tridentinæ Synodi mentio repoſita, cuius re-
cipiendæ inter condiciones Regi à Pōtifice propoſitas neceſſitas impoſita ſuaſat. eā vrgebat
Villaregius & deceſſori ſuo decretam illius promulgationem affirmabat. nonnulli ex Villa-
regij amicis præferuido ſtudio negotium adiuuabant; atque ex compacto Regi perſuaſerant,
rem eſſe, quæ & Pontifici promiſſa, & Catholicis ſimul grata, eluendæque edicti Namnatēn-
ſis inuidiæ valde opportuna ac Proteſtantibus minime ſuſpecta eſſet, idque allegatis Henri-
co Turrio Bullionij duce & Maximiliano Bethunio Ronij marchione, qui aderant, præci-
puis ex Proteſtantium numero confirmabant; quippe quibus & ipſi perſuaſerant, Synodi
promulgationem nihil ad ipſos ſpectare. nam diplomate regio cautum iri, vt promulgatione
illa nihil iuribus, prærogatiuis ac priuilegiis regni coronæq. regię, libertatibus eccleſiæ Gal-
licanæ, edictis piu pacificatione factis derogatum intelligatur. his condicionibus & regni
Francicique numinis dignitati, Eccleſię Gallicanę immunitatibus, ac denique Proteſtan-
tium ſecuritati abunde proſpectum eſſe, neque curioſius aut moroſius in examinandis ſin-
gulis Synodi capitibus per Senatum, in quo promulgatio fieri debebat, laborandum. ita cum
bene pręparatos in aula animos putarent, reliquum erat, vt eandem curam in animis Sena-
torum, in quibus plus difficultatis ſubeſſe arbitrabantur, pręparandis adhiberent. quod vt
facerent, ſingulos prenſare inſtiterunt, principio à principe Senatus facto, quem conſilijs ſuis
maxime aduerſaturum rebantur. & quia is tum forte in lecto decumbebat, per Regem con-
filium in ędibus eius celebrandum primariis conſiliariis indicunt: quod cum illi, quid ſe Rex
vellet omnino ignaro ſignificatum eſſet, morbo ſe excuſare, & iam honorificum Regis ad
ſe aduentum ſuppliciter deprecari cepit, ac poſtremo addere, ea die ſe medicamentum ſum-
pſiſſe, neque proinde Regi in re ſeria vacare poſſe. conſilium erat eorum qui tanto calore
& ęſtu ſimul callideque negotium vrgebant, imparatum Achillem Harlæum, & præſentia
Regis honorifice eum inuiſentis attonitum opprimere, ne rationes ad contradicendum co-
ram Rege in re tam ſeria paratas haberet, & votum eius per illam conſultationem ſaltem in
id obligare, ne tam ſtrenue poſtea in Senatu ſententiam diceret. cum ſe excuſaſſet, & Rex qui
iam in curru erat, vt ad eum veniret, reflexo itinere ad Zametianas ędes diuertiſſet, Thuanus,
qui rei itidem ignarus Regis iuſſu ad conſilium vocatus fuerat, & Iacobus Gueſlæus fiſci
procurator comparuerunt. poſtquam Thuanus de re ab Andrea Huralto Meſſio, qui aderat
in arcano monitus primum reſciuit videns ſe ſolum ex præſidibus eò euocatum, magna ſe
inuidia, & non oculis tantum ſed ipſo nomine deſignatum ſenſit, quem cauſſæ patrocinan-
tes quærerent, eoque ſibi cautius agendum putauit, ne quam calumniandi anſam æmulis &
inimicis præberet. vbi venit, ſeorſum eum Rex ſeducit, & quædam de collatione, quæ
inter Iacobum Dauidem Perronum epiſcopum Ebroicenſem & Philippum Mornæum
Pleſſium inſtituta fuerat, & poſtea ſecuta eſt, prolocutus, ſibi in animo eſſe dicit, Pontifici
de Synodo Tridentina tandem ſatisfacere; & cum Thuanus magni momenti eam con-
ſultationem eſſe oſtenderet, quo verbis ſuis fidem aſtrueret, hoc addebat, totos XXXVII an-
nos eam multoties agitatam fuiſſe, primum ſub Carolo IX, dein & ſub Henrico III religioſiſ-
ſimo ſimul & ſectariis infeſtiſſimo principe, & toties eluſam. vnde ipſum coniecturam face-
re poſſe, multis magniſq. difficultatibus implicatum tunc negotium viſum, quæ nec hodie
ceſſent. & quas per otium omni reſpectu poſthabito excutere, & matura deliberatione pon-
derare ante omnia ſit neceſſe, in conſiſtorio ſuo primum, deinde & in Senatu proinde pete-
re, ne de re tam ſeria, de qua ſententiam poſtea in Senatu ſit ſuo loco dicturus, eam nunc
anticipare ſine vlla præmeditatione iubeatur. hæc vbi & ſimilia ad excuſationem Thuanus
dixit, Rex ex procœtone eum primariis conſiliariis in interius cubiculum perrexit, & le-
cto inſidens cunctis circum ſedere iuſſis orditur. datam à procuratoribus ſuis de Concilij
promulgatione fidem exſoluere decreuiſſe, quam ne facerent, deceſſores ſuos non tam rei
periculo, quam eorum, qui in eo negotio parum ſincera fide verſari dicebantur, odio reuo-
catos fuiſſe. ſe vindice ſuorum iurium & Gallicanæ libertatis Eccleſiaſticæ defenſore ni-
hil metuendum eſſe ab inermibus hominibus, qui ſi quid ſecus faciant, fraude non vi graſ-
ſantur. neque plus Proteſtantibus inde metuendum, quibus abunde clauſula de pacificato-
riis edictis appoſita cauetur, adeſſe Bullionium & Ronium, qui nihil hanc promulgatio-
nem ad ſe pertinere palam agnoſcunt & profitentur. non iam Cardinalem Lotaringum eam
vrgere, ſed Regem ipſum, qui ab omni adfectu prauo alienus, vt armis iam fecit, ita luis in
pace optime conſulere & prudentia innata & caritate erga ſubditos didicerit. ſed cupere, vt
gratia, quam Pontifici, cui multum debeat, ea re facturus eſt, ingrata mora & horrida illa
prætetiti temporis, quam ætas hodierna non admittit, libertati non delibetur, pro'piciatur-
que, vt rixoſi, quæ in tali re interuenire ſolent, altercationib. in Senatu abſtineatur, & clau-
ſulis adiectis ſine exactiore ſingulorum capitum examine contenti Patres in promulgat o-
nem conſentiant. perorantem excepere Belleureus & Villaregius, & diploma cum clauſulis
iam ſubſignatum & ſigillo firmatum declararunt, ac tantum ſupereſſe, vt eo ad Senatum miſ-
ſo ſine ſtrepitu aut aliis condicionibus res tranſigatur. quibus dictis altum in conſeſſu ſilen-
tium

tium fuit, cum alteri alteros taciti reſpicerent. tum Thuanus à Rege dicere iuſſus, cum ſe iterum excuſaſſet, & ſententiæ libere in Senatu dicendæ anticipata deliberatione præiudicium fieri cauſſaretur, cum nihilominus Rex inſtaret, vt quid animi ſui eſſet, æque libere, ac ſi in Senatu eſſet, coram ipſo exponeret, ad extremum ſubiecit, animaduertiſſe ſe ex Regis verbis eius ac conſiliariorum eam mentem eſſe, vt Concilium non ſolum recipiatur, ſed ſine ampliore cognitione cum clauſulis appoſitis, ac nullis aliis præterea condicionibus adiectis, fiat promulgatio. ſed quando iuſſu ac gratia Regis ſibi libere loquendi copia facta ſit, nolle celare M. S. quicquid illi contra ab aliis perſuaſum ſit, negotij in Senatu exitum ipſius voto minime reſponſurum. nam & ampliorem fore eius cognitionem, & ſingula capita examinatum iri. id ex eo prouidere, quod à primis potentiſſimi toto Chriſtiano orbe principatus incunabulis nullum vllius concilij in eo recepti extet exemplum. nam Reges acerrimos pietatis ac ſacræ diſciplinæ vindices hoc religioſe ſeruaſſe, vt manus à ſanctuario quidem abſtinerent, ceterum per præſules ſuos ex ſacris conſtitutionibus ac conciliis delectas ſanctiones excarperent, & per Pragmaticas ſuo nomine promulgarent. hoc alterius ſtirpis Reges ac Imperatores optimo atque ad poſteritatem laudando ſucceſſu & exemplo factitaſſe: & nunc Caroli magni, Ludouici pij, Lotarij, aliorum capitula adhuc extare. poſtremis temporibus ante C̅C̅ annos poſt Conſtantienſe & Baſileenſe Concilia celebrata, cum theologi noſtri, qui iis interfuerunt, inſtarent, quo fructus aliquis inde ad eccleſiam vniuerſam atque adeo Gallicanam redundaret, vt illa in Gallia publico teſtimonio approbarentur, conuentus maxime memorabilis Auarici Biturigum Cuborum habitus fuit, in quo ſingulis capitibus ex ſententia Regis, præſulum ac procerum regni ac delectorum ex regni curiis mature perpenſis, & miſſis prius pro quibuſdam controuerſis articulis ad Pontificem legatis, tandem Pragmatica ſanctio, quam vocant, Caroli V̅I̅I̅ Regis nomine confecta eſt, & pro lege ſuprema ac ſalutari ab omnibus regni ordinibus recepta & in Curiis publicata ad noſtra vſque tempora etiam à Theologorum noſtrorum collegiis vbique religioſe ſeruata eſt. hoc vnicum eſſe Concilij in regno recepti ac recens exemplum cuius mentio, quoties de Tridentino vltimo agetur, proculdubio in memoriam reuocabitur, & in eo examinando ac recipiendo, eandem rationem & ordinem, quam maiores noſtri in Pragmatica Carolina ſeruarunt, ſeruari debere regni Curiæ cenſebunt, ac præſertim Pariſienſis, quæ & auctoritate ceteris & grauitate ad exemplum præibit. quibus dictis cum plerique nulla re maiorem Pontifici, cui Rex gratificari cupiat, quam Pragmaticæ ſanctionis, quæ Baſileenſem Synodum ſecuta eſt, mentione offenſionis cauſſam præberi poſſe dicerent, potiuſque eſſe, vt promulgationis negotium omnino omittatur, quam committere, vt pro gratia, quam ex illa exſpectat, iniuria longe grauiſſima rependatur. atqui, ſubiecit Thuanus, imponunt Regi imprudentiſſime, qui citra Pragmaticæ mentionem peragi deliberationem poſſe ei perſuadent. nam ex C̅ Patribus, qui ſententiam dicent, quod capitis periculo affirmare poſſum, nonaginta & amplius Bituricenſis conuentûs exemplum ſequendum cenſebunt. ad quam vocem Rex prudentiſſimus, ceterum de re ab iis, qui promulgationem vrgebant, ſecus quam oportuit, edoctus, ne conſultationem ſine aliquo operæ pretio abrumpere videretur, non iam de promulgatione decernenda, inquit, & diplomate ad Curiam mittendo heic actum putate, ſed in id vos vocatos, vt rationes ineantur, quibus tantæ molis negotium cum gratia Pontificis & citra regni detrimentum ex Curiarum conſenſu confici poſſit. eam ob cauſſam cum reliquis præſidibus & aduocatis fiſci ſeorſim agi volo, antequam miſſo in Senatum diplomate res in deliberationem deducatur. quibus dictis cuncti ſurrexerunt. tum Meſſius coram Belleureo & Villaregio conſilium promulgationis hoc diſcriminis pleniſſimum dixit, & neminem vnum eſſe, qui eius periculum Regi regnoque præſtare poſſit: contra alij referre: cum primum ea de re poſt Concilium Tridenti peractum in Regis conſiſtorio ad Fontem-Blandi actum fuit, vocatis è Curia præſidibus, Chriſtophorum Thuanum Senatûs principem virum regni iurium peritiſſimum & priſcæ grauitatis retinentem aperte quidem reclamaſſe, longaque ac vehementi oratione contra Synodum diſſeruiſſe, & Cardinali Lotaringo rem vrgenti non ſine ſtomacho in faciem reſtitiſſe. Sed Petrum Seguierium alterum præſidem, contra cenſuiſſe, & cum temperamento Concilium admitti poſſe multis nec minoris ponderis rationibus demonſtraſſe. itaque iam tum tantis auctoribus ſciſſum ſententiis Senatum fuiſſe. quod eo dicebatur, vt renouata ſuppoſititij illius diſſidij memoria in Senatu noua ſciſſura ſuſcitaretur. verum aſtus non proceſſit. nam Thuanus ſumma familiaritate cum Petro Seguierio, qui hereditariam dignitatem obtinebat, quique ex compacto ad illam conſultationem minime vocatus fuerat, coniunctus, continuo ab eo rogatus, quid in illa actum eſſet, poſtquam cognouit de memorato inter

CIƆ IƆ CI vtriuſque parentes diſſidio, præfracte negauit patri ſuo cum Thuani parẽte ſuper Concilij promulgatione nunquam diſconueniſſe. ſed vnam eandemq. ac per omnia concordem vtriuſque ſententiam ſemper fuiſſe, publice & priuatim amicis confirmauit. quod vbi reſciuerunt, qui in ſciſſura illa ſpem negotij conficiendi poſuerant, cum ſe fruſtra eſſe cerne ẽt, à negotij tanto feruore & aſtu inchoati vlteriore perſecutione omnino deſtiterunt. nec multo poſt ſecuta Ebroicenſis epiſcopi cum Pleſſio ad Blaudi-fontem collatio, & poſtremo Regis in Sabaudiam expeditio, quibus de rebus plenius in extremis *Annalibus* nec minore inuidia mox eodem anno flagrauit Thuanus, cum poſt ſtatutorum Academiæ Pariſienſis, in quibus digerendis & corrigendis ſtrenue totum biennium cum Reginaldo Belnenſi archiepiſcopo Senonenſi laborauit, in Curia promulgationem, eadem in calatis Academiæ comitiis, adiunctis ſibi duobus Senatus luminibus Lazaro Coqueleio & Eduardo Molæo celebrare ex Curiæ mandato iuſſus eſt. nam in iis pleraq. addita ob temporum condicionem, quæ factioſos & heroticæ partis reliquias in occulto vrebant, pro ſecuritate Regis regniq. contra pernicioſam de tollendis regib. & ſolio mouendis à paucis annis inuectam ab exteris doctrinam, quæ nihilominus ſiue nimia aulicorũ ſocordia ſiue præuaricatione, & inter hæc factionis hydra pullulante poſtea vireis amiſſas reſumpſit, eoque maiore ſucceſſu, quod qui contrariam illi atque adeo antiquam à maioribus acceptam fidem tuebantur, paullatim ex ea occaſione in aula falſis & exoticis opinionibus faſcinata à gratia decidere, & tanquam ſuſpecti à muneribus publicis remoueri ceperunt. Sequentem annum Thuanus funeſtum expertus eſt, quo poſt longum ac moleſtum morbum dilectiſſimam vxorem extulit, cuius mortem hoc extemporaneo carmine deplorauit.

Bis ſeptem exactis nunc ecce reuoluitur annis
Lux eadem tædis quæ prima iugalibus arſit,
Funereaſque faces genialibus vltima lectis
Intulit: hæc eadem fratri vitam abſtulit olim,
Semper acerba dies, ſummo mihi ſemper honore
Et ſemper lacrimis, voluit ſic numen, habenda.
At tu lætitiæ quondam nunc cauſſa doloris,
Barbanſona anima atque oculis mihi carior ipſis,
Erepta ante annos, primoque in flore iuuentæ:
Quo fugis? atque virum in luctu & ſquallore relinquis
Heu ſolum atque orbum! ſaltem mihi ſi qua ſupremum
Ante diem de te proles ſuſcepta fuiſſet,
Quæ matrem ſpecie & vera pietate referret,
Eſſe aliquod potuit tanti fortaſſe doloris
Solamen: ſed vana queror, fruſtraque laboro
Heu demens! ſtat fixa Dei conſtanſque voluntas
Voto aduerſa meo, cui me parere neceſſe eſt:
Hanc veneror teſtorque animo, quod voce vouere
Quiſque ſolet; fiat pater ô tua ſumme voluntas
In cœlo & terra: vxorem mihi nempe dediſti
Dilectam, atque à qua optaſſem mihi lumina condi:
Hanc repetis, miſerumque iubes ſupereſſe maritum,
Ordine naturæ præcedere debuit ille,
Viſum aliter tibi ſumme parens: natura repugnat,
Haut ego diffiteor primique in pectore motus
Aduerſus mentem pugna luctantur iniqua.
Sed mens diuina vincat ratione ſubacta,
Atque Dei iuſta moderantis cuncta bilance
Imperiis diſcant captiui cedere ſenſus.
Tu potius ſanctum veræ pietatis amorem
Mortis & impauidum pectus, vitamque pudicis
Moribus exactam memori complectere mente,
Certaque ab his iuſto ſolatia quære dolori.
O anime; hæc tua ſunt: quæ fruſtra amiſſa requiris
Haut tua erant, ideoque minus iactura dolenda eſt.
Illa propinquantem mortem imperterrita contra

Mente petit ſolida, vultuque immota ſereno
Sub pedibuſque premens mundum, vitaque fugacis
Illecebras, morbo vires ſumebat ab ipſo
Atque innixa Crucis merito, nocteſque dieſque
Hanc animo verſans, vitaque hinc omina captans
Æterna, CHRISTVM *ſpes defigebat in vnum*
Hunc animis & voce, hunc tota mente vocabat.
Hæc ſunt vera pie tranſacti præmia curſus,
Vt bene qui cepit, bene deſinat, atque peracta
Quale fuit tempus, talis ſit clauſula vitæ.
Nulla dies abiit, quotquot fuit illa ſuperſtes
Nobiſcum in terris, quin ter pia femina ſupplex
Funderet ad ſummum ſollennia vota parentem,
Deque Deo ſummo crebros gaudebat habere
Sermones, mortem media inter gaudia vitæ
Aßidue meditans, vt cum veniſſet, ad eius
Conſpectum, trepido non expalleſceret ore.
Quin & cottidie ſacros euoluere libros
Sueuerat, & mentem mane exercere legendo:
Cetera lux rebus tranſmittebantur agendis,
Has illi à teneris quaſi lac immulſerat annis
Religioſa parens artes, quas inde petito
Exemplo in mores longo contraxerat vſu.
Quid memorem ingenium excelſum & donare benignum,
Proſpera quod ſpernebat, in aduerſiſque gemebat
Alterius, miſeris ſemper ſuccurrere promptum,
Sincerum, atque à labis auaræ crimine purum,
Quod ſi ſpernere opes, aulæ contemnere fumos.
Et procerum faſtus, illuſtris gentis & infra
Tot numerantis auos ſeſe demittere ſortem
Præſenti in vita iam vitam agitare futuram,
Humani exſuperant longe faſtigia captus,
Huic ſublimis apex virtutum contigit vni.
Iſta, Thuane, tibi coniux in morte reliquit
Pignora, quæ memori gratus ſub pectore ſerues,
Atque animo recolas tanti ſolatia luctus:
Illa tibi caræ ſpirantem vxoris vbique
Ante oculos ſiſtent ſpeciem, exemploque præibunt
Fortiter ad mortem, cum venerit hora, ferendam.
Quid maiora petis? iam contrahe plena vaganti,
Ne ſpatio excurrat plus iuſto, vela dolori.
Spes ſupero vitæ melioris in axe repoſta eſt:
Huc nos reſpicere, huc par eſt intendere curſum,
Teque ſequi: cui me miſerum perſoluere iuſta
Quando Deus voluit, meritis ſi forte minora,
Inferiora tuis vt ſunt mea cuncta repende,
Ignoſce, ô dilecta mihi, dilecta marito
Quantum nulla fuit: iampridem exaruit in me,
Si qua olim puris Muſarum è fontibus hauſta
Vena fuit: lauri atque hederæ vis marcida languet,
Et dudum vitæ portum quæ reſpicit ætas,
Obrutus & curis, tanto accedente dolore,
Ipſe animus veluti de cælo tactus hebeſcit.
Ignoſce ô coniux, fideique extrema iugalis
Affectuſque probi cape triſtia munera, quæ nunc,

Singultu fauces intercipiente canoras,
Vix ego vocali ſuſpiria pectore mitto.
His te ſupremum effari, dulciſsima coniux,
Meque ſimul ſolari & curas demere dictis
Vt liceat, felix cælo patiare recepta,
Atque boni officium pietatis conſule noſtræ.
Iamque vale, mea lux nuper, mea ſancta voluptas,
Nunc tenebræ & gemitus deſideriumque perenne;
Donec honoratæ decurſo ſtamine vitæ,
Poſt exantlatas in publica commoda curas,
Mors ærumnoſo tandem me corpore ſoluat,
Et patriis, quo nunc præmitteris, inferat aſtris.

Statuæ è Lunenſi marmore à præſtantiſſimo artifice Bartholomæo Priore factæ & ad S. Andreæ in arcubus in ſacello Thuanorum erectæ ſtylobata hanc inſcriptionem in antica parte habet.

D. O. M.
MARIÆ. BARBANSONÆ. CANIÆ. FRANCISCI. F.
MICHAELIS. PICARDIÆ. LEGATI. N.
QVÆ. DVM. VIRO. MORIGERA.
ET. PATRITIÆ. CVRÆ. DVLCE. LEVAMEN.
CONCORDIAM. CONIVGALEM. SVAVISSIMAM. FACIENS.
INTERIORE. AC. SINCERA. PIETATE.
ASSIDVA. SACRORVM. LIBRORVM. LECTIONE.
ALACRI. ET. ANIMOSA. ERGA. TENVIORES. BENIGNITATE.
IN. OMNES. LIBERALITATE.
MORVM. SANCTITATE.
VETERIS. ET. CLARISS. FAMILIÆ. DECVS. AVGET.
IN. HOC. VIRTVTIS. VITÆQVE. CVRSV.
FLORENTIBVS. ADHVC. ANNIS. EREPTA. EST.
IACOBVS. AVGVSTVS. THVANVS.
TANTÆ. IACTVRÆ. PROPEMODVM. INTOLERANS.
HOC. MONVMENTVM. VXORI. INCOMPARABILI.
MÆSTISSIME. P.
VIXIT. ANN. XXXIIII. M. VI. D. XVI.
OBIIT. A. S. CIƆ. IƆC. I. NON. VI. IVLIB.
HAVE. ET. VALE. DIMIDIVM. ANIMÆ. MEÆ.
DIMIDIVM. QVOD. SVPEREST. CVM. DEVS. VOLET.
IN. CÆLIS. RECIPERATVRA.

in interiore parte hi verſus Iſaaci Caſauboni leguntur:

ΑΙ. ΑΙ. ΑΡΙCΤΟΓΕΝΕΘΛΕ, CΥ ΜΕΝ. ΒΡΟΤΕΩΝ. ΜΕΛΕΔΩΝΩΝ.
ΛΗΞΑC.' ΟΥΛΥΜΠΟΝΔ.' ΑCΜΕΝΗ. ΕΙCΑΝΕΒΗC.
ΚΟΥΡΙΔΙΟΔ'. ΑΛΟΧΟΝ. ΠΡΟΛΙΠΟΥCΑ. ΠΡΟΩΡΙΟC. ΑΙ. ΑΙ.
ΘΑΥΜΑ. ΒΙΟΥ. ΘΥΑΝΟΝ. ΩΧΕΟ. ΘΑΥΜΑCΙΗ.
Χ'Ω. ΜΕΝ. ΟΔΥΡΟΜΕΝΟC. ΓΟΕΡΟΝ. ΤΗΝ. ΝΥΚΤΑ. ΚΑΙ. ΑΩ.
ΙΜΕΙΡΕΙ. ΓΛΥΚΕΡΩ. ΠΟΤΝΙΑ. CΩΝ. ΟΑΡΩΝ.
CΩΝ. ΟΑΡΩΝ. CΕΜΝΟΥΤΕ. ΝΟΟΙΟ. ΦΥΗCΤ'. ΕΡΑΤΕΙΝΗC.
ΓΡΑΠΤΟΝ. ΕΧΩΝ. ΚΡΑΔΙΗ. CΗC. ΤΥΠΟΝ. ΑΓΛΑΙΗC.
CΥCΥΓΙ. Δ'. ΑΙΑΖΟΝΤΙ. CΥΝΑΙΑΖΟΥCΙΝ. ΟΜΑΡΤΗ.
Η. ΤΛΗΜΩΝ. ΑΡΕΤΗ. ΤΑΙΤ'. ΑΓΑΜΑΙ. ΧΑΡΙΤΕC.
ΟΙ. ΜΟΙ. ΛΕΥΓΑΛΕΗC. ΑΤΗC. ΤΙC. ΝΥΝ. ΧΕΡ'. ΟΡΕΞΕΙ.
ΥΜΜΙΝ. ΟΙΖΥΡΗ. ΤΕΙΡΟΜΕΝΟΙ. ΠΕΝΙΗ.
ΝΟΥCΑΚΕΡΟΥC. ΤΙC. ΕΠΙCΚΕΨΕΙ. ΤΙC. ΛΥΤΡΑ. ΔΕΘΕΙCΙ.
ΔΩCΕΙ. ΤΙC. ΓΥΜΝΟΥC. ΕCΘΕCΙΝ. ΑΜΦΙΑCΕΙ.
Α. ΔΕΙΛΟΝ. ΜΕΡΟΠΩΝ. ΓΕΝΟC. ΗΡ'. ΕΤΕΟΝ. ΤΙC. ΞΕΙΠΕ.
ΠΑΝ. ΤΟ. ΠΕΡΙΤΤΟΝ. ΑΕΙ. ΕCΤΙ. ΜΙΝΥΝΘΑΔΙΟΝ.

FINIS.

SENTENTIA
PRÆTORIS PRÆFECTVRÆ PARISIENSIS,
aduerſus famoſum libellum inſcriptum,

IN IAC. AVG. THVANI
Hiſtoriarum libros Notationes, auctore
IO. BAPTISTA GALLO.

VNIVERSIS præſentes literas inſpecturis, LVDOVICVS SEGVIERIVS Eques, ſancti Briſſonis Baro, Realſij & S. Firmini Dominus, Conſiliarius Regius, Nobilis ordinarius cubiculi Regij, Præfecturæ Pariſienſis Prætor, S.D. Notum facimus, quod hodie poſtquam ad nos retulit Regius in hac Curia Procurator, poſtremis Francofurtenſibus nundinis quoſdam huiuſce vrbis bibliopolas attuliſſe famoſum libellum inſcriptum, IN IAC. AVGVSTI THVANI HISTORIARVM LIBROS NOTATIONES, AVCTORE IO. BAPTISTA GALLO Ic. impreſſum Ingolſtadij, Anno præſenti milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, apud Eliſabetham Angermayrinam: Nos viſo dicto libello & concluſionibus dicti Procuratoris Regij, Dicimus, quod dictus liber, quia pernicioſus eſt & multa continet ſeditioſa aduerſus tranquillitatem publicam, pacificatoria edicta, ac deniq. plenus eſt impoſturarum & calumniarum aduerſus magiſtratus Regios, ſuppreſſione damnabitur: prohibemus ac vetamus ne quis Bibliopola aut Typographus eum recipiat aut retineat, eiuſque copiam vlli faciat, neue eum imprimat, imprimiue curet, aut vendat; qui ſecus faxit multa quingentarum librarum Pariſienſium, ac prætereà corporis pœna emendabit. Atque hanc noſtram ſententiam Procurator Regius Librariorum Syndicis ſignificari curabit, vt per Syndicos cunctis Librariis & Typographis notificetur, neq. vllam ignorationis cauſſam illi prætexant, & intra octo dies omnia quę habent dicti libelli exemplaria ad actuarium noſtrum adferant, eadem pœna in minime parentes indicta. Dictiq. Syndici Librariis ac bibliopolis ſententiam noſtram ſignificatam fuiſſe certum faciant Procuratorem Regium; ſin ſecus nomine proprio priuatoque ipſi caſtigabuntur. In cuius rei fidem nos præſentibus literis ſigillum præfecturæ Pariſienſis apponi iuſſimus. FACTA & data per HENRICVM DE MESMES, Irvallij dominum, ſacri Conſiſtorij Conſiliarium, & Ciuilem vrbi propræfectum, die ſabbathi VII. Iunij, anno S. milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto.

Signatum: DROVART.

LECTORI.

NEscio quis fanaticus Io. Baptistæ Galli nomine ſeſe nuper inuoluit, œſtroque Satanico percitus calumniarum & mendaciorum virulentiſſima rabie paginas aliquot infecit, quas ſuperiorib. nundinis Ingolſtadienſes Typographi, qui fœdum ingenij monſtrum protinus abominari & corrumpere debuerant, circum quæſtus & officinas exponere maluerunt. Itaque fallaci titulo proſtabant quædam in Iac. Auguſti Thuani Hiſtoriarum libros Notationes; intus autem conuicia, impoſturæ, technæ omnes ſycophanticæ ad optimi viri famam, ſi licet, labefactandam flagitioſiſſima coniuratione conſpirabant. Sane Thuanus illuſtriſſimis ampliſſimiſq. ortus parentibus, ſummis ingenij iudiciiq. dotibus diuino numinis beneficio cumulatus, rem omnib. olim ſeculis profuturam, temporum ſuorum Hiſtoriam compluribus libris pertexuit. Verum ea tempora inciderunt, quibus ſententiam aperuiſſe veritati conſentaneam, modeſtiæque adfinem, maximum fuit ſcelus. Is ergo prauas de rebus ſacris opiniones quas obtentu Religionis nefarius quiſque conceperat, exoſus, in ipſa quidem ſectarum capita, velut in publicæ quietis conturbatores Regio magiſtratuum gladio cauſa cognita animaduertendum eſſe cenſuit. At poſtquam id malum, populos, prouincias, regna integra peruaſit, ea demum non truculenta vaſtatione deleri, ſed potius ſanctis adhortationibus & caſtigatis morum exemplis coerceri, atq. in Chriſtianam concordiam reduci, votis omnib. exoptauit. Quod quum verum rectumq. eſſe explicatis rerum toto orbe geſtarũ monumentis, ſumma fide, procul odio, procul amore, oſtendiſſet, prouolauit è taberna ferali gallulaſcens bubo, qui & exemplorum ipſamet acta, ipſas Regum magnatumq. epiſtolas ac diplomata, ipſa Legatorum mandata, quiſquilias eſſe occineret, ex doliari, quam ſtultiſſime blaterando comminiſcitur, bibliotheca, petitas: quum tamẽ ipſiſſima ſint acta rerum & commentaria, quæ Duces, Epiſcopi, Magiſtratus, Legati, alij deniq. viri grauiſſimi confecere; quæq. adhuc ſeruantur in Thuani Bibliotheca, nõ doliari, ſed inter egregias, quę tota Europa celebrãtur, lectiſſima. Illud vero quã ſceleratè & perfidè Gallus iſte cucuriuit, Thuanũ libro ſuarũ Hiſtoriarũ vigeſimo tertio, Frãciſco II. diram aliquam morbi, quaſi de materno conceptu cõtracti, infelicitatẽ exprobraſſe: cũ tamen eo libro Thuanus exquiſitiſſimã operã dederit, vt aperta vera morbi cauſſa, ſicut à præſtantib. medicis explorata fuerat, demonſtraret impudentiſſimum fuiſſe mendacium, quod in vulgus ſparſerant Baptiſtæ Gallo conſimiles bipedum nequiſſimi. Sed quid non fingere audeat dãnatæ conſcientiæ perditiſſimus nebulo, qui Thuano, quod olim deſignatus Epiſcopus Carnotenſis, inter eos, qui vulgo minores canonici nũcupantur, ſteterit, poſteaq. ſacramento coniugali ſeſe obligauerit, crimini vertit, & votum eieraſſe mentitur. Nempe fatuus Gallus ignorat, aut ſtolide diſſimulat, quod pueri ſciunt, minima illa ſacrorum initia Pontificum auctoritate facile diſſolui: neque propterea obligatum fuiſſe Thuanum, aut prohibitum, quo minus ſanctiſſimæ coniugi fidem daret, ac datam, vitæ coniugalis innocentiſſime tranſigẽdæ voto ſanciret, quod Eccleſiam ſciuiſſe, Angelos renunciaſſe, Deum Opt. Max. ratum habuiſſe nemo ſanus, nemo bonus addubitat. Sciunt Franco-Galli, quod Baptiſta Gallus obſtinata veſania pernegat, Thuanum Catholicæ fidei tenaciſſimum, & Eccleſiæ Romanæ quam ſanctiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus ſcriptis ſanguine ſuo conſignatis fundauerunt, religioſiſſimum eſſe cultorem, qui vel tantillum ab ea recedere ſummum ſemper eſſe nefas exiſtimauerit. Apage gallinaceum iſtum deteſtandæ proteruiæ Gallum, de ſterquilinio ſuo margaritum contaminare geſtientem. Væ illis tabulis, qui ſuo patrocinio turpem inficeti Galli cantum excitarunt.

ILLV-

ILLVSTRISSIMI VIRI
IACOBI AVGVSTI THVANI
TESTAMENTVM.

A. ☧. Ω.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

QVONIAM Deo ita viſum, vt vxor mea cariſſima Gaſpara Chaſtrea, quam mihi fore ſuperſtitem ſemper ſperaueram & optabam, turbato ordine naturæ prior deceſſerit, ego Iacobus Auguſtus Thuanus, omnium maximus ac miſerrimus peccator, morte eius luctuoſiſſima admoneor, vt de mea ſerio cogitem, & de rebus meis hoc vltimæ voluntatis meæ elogio ſtatuam.

Ante omnia gratias quam poſſum maximas ago Deo omnipotenti, quod me ex fidelibus parentibus naſci voluerit, in Eccleſia ſua per ſacrum lauacrum regenerauerit, meque in ea ſacramentorum ſuorum participem effecerit, & Fidem viuam non mortuam in animo meo impreſſerit, adiuncta æternæ vitæ ſpe, quæ in eo conſiſtit, vt credamus in Deum, & quem miſit Filium dilectiſſimum, Verbum æternum ante ſecula genitum, IESVM CHRISTVM, qui conceptus de Spiritu ſancto in vtero beatiſſimæ Virginis Mariæ carnem in ſeculo ſumpſit; in ea natus, paſſus, mortuus & ſepultus eſt; in ea reſurrexit, aſcendit in cœlum captiuam ducens captiuitatem, & inde largiſſime dona hominibus diſtribuit, pro conſummatione promiſſorum miſſo Spiritu ſancto à Patre Filioque procedente:

In hac Fide me viuere profiteor, & vt in ea ad vltimum vitæ ſpiritum conſtanter ac ſine hæſitatione perſeuerem, adſiduis quantum poſſum precibus ac lacrimis à Deo contendo, immenſamque ipſius clementiam oro & obteſtor, vt me in peccatis & iniquitatibus conceptum ab humanæ infirmitatis pollutionibus repurget, dignumque ex indigno per miſericordiam ſuam efficiat, in quo tanquam in templo ſuo habitare dignetur, mihique paſſionis Filij ſui dilectiſſimi IESV CHRISTI meritum ad expiationem peccatorum applicet, vt quum nouiſſima vitæ hora non improuiſa venerit, ab Angelis ſuis in ſinum Abrahæ raptus cum ſanctis & electis ſuis æterna felicitate perfruar.

Hæc præfatus, liberis meis quos ex humaniſſima & inſolabiliter, niſi quatenus in reſurrectione ſpes, mihi ſemper lugenda coniuge ſuſcepi, Tutores do nominoque Henricum Chaſtreum Nancæi comitem, illius fratrem, Henricum Burdeliæ vicecomitem Petrocoriorum præſidem, Ludouicum Vicinum ab Ambra ſororios meos. & quia propter locorum diſtantiam ſemper adeſſe non poſſunt, eis adiungo Ioannem Thumerium Boſſiſium ſacri conſiſtorij adſeſſorem, Renatum Thuanum Bonnolium fratris filium, Iacobum Gillotum, Cyprianum Perrotum Senatores Pariſienſeis: quos omneis & ſingulos rogo vt educationis liberorum meorum & adminiſtrationis bonorum curam habeant, conſilioque ſuo & auctoritate iuuent eum quem onerarium tutorem nomino ac conſtituo, Martinum Paridem in Senatu Aduocatum, amicum & familiarem meum, cui & eius vxori, quam mea ſemper vnice dilexit, habitationem in ædibus meis hac in vrbe quam commode fieri poterit, ex Tutorum conſilio aſſignandam do lego, quamdiu tutela durabit.

Bona mea mobilia,& pretioſam ſupellectilem, ſi fieri poteſt, vendi ac diſtrahi nolo:ſed quæ ſeruari poterunt, eouſque ſeruari cupio, quo vſque eorum inter heredes meos fiat diuiſio.

Bibliothecam meam XL amplius annorum ſpatio magna diligentia ac ſumtu congeſtam, quam integram conſeruari non ſolum familiæ meæ, ſed etiam rei litterariæ intereſt,diuidi vendi ac diſſipari vero,eamque communem cum numiſmatis antiquis aureis argenteis & æreis inter filios, qui literis operam nauabunt,facio,ita vt etiam exteris aliiſque philologis ad vſum publicum pateat. Eius cuſtodiam Petro Puteano cognato meo & multis nominibus mihi caro,donec filij adoleſcant,committo,qui & libros mſs:iis qui opus habebunt vtendos dare poterit,modo de illis reſtituendis idonee caueatur.

Eum præterea & Nicolaum Rigaltium in Senatu Aduocatum & Regiæ bibliothecæ Curatorem,virum doctiſſimum ac iuxta probum, rogo, vt filiorum meorum in litteris inſtitutionem conſilio & induſtria ſua adiuuent, amicitiæque noſtræ memores eos officioſe inuiſant, & præceptoribus eorum præſto ſint.

Hiſtoriarum mearum,quas ad Dei gloriam & publicam vtilitatem ſine odio & gratia, Deum ipſum teſtor & homines, conſcripſi, paratam editionem, ſi ante quam ipſa edatur moriar,iiſdem committo,præcipioque vt ea in re Sammarthanorum fratrum, qui me in toto opere multum opera ſua & diligentia adiuuerunt,conſilio vtantur.

Lucubrationes item omneis alias meas fidei eorumdem Puteani & Rigaltij committo.

Dominam à Burdelia & Dominam ab Ambra dilectiſſimæ vxoris nuper defunctæ ſorores enixe ac demiſſe quantum poſſum obſecro, vt qua pietate & caritate matrem complexæ ſunt,eadem liberos eius proſequantur, ac præſertim filiarum curam commendatam habeant, ſiue in iis matrimonio digne elocandis,ſiue velandis:quod ante ætatem legibus præſcriptam & coacte fieri veto.

Corpus meum, quandocumque & vbicumque me mori contigerit, iuxta corpus vxoris nunquam ſine honoris elogio & acerbitatis ſenſu nominandæ tumulari mando.quod vbi futurum ſit,nondum decreui,& codicillo ſeorſim, ſi longior vita ſuppetet, indicabo, quo & mihi integrum ſeruo de rebus aliis meis,legatis & largitionibus in eos qui nunc ſunt,& poſt in mea familia erunt, erogandis amplius ſtatuendi,ita tamen vt nihil huic meæ voluntatis teſtationi derogetur,quam firmam validam ac ratam eſſe volo.

Ego Iac. Avg. Thvanvs corpore validus, ceterum de morte quaſi in propinquo ſit Chriſtiane cogitans, propria manu ſcripſi ac ſubſcripſi. Actum in ædibus Palatinis illuſtris. Achillis Harlæi quondam Senatus principis meritiſſimi,ſororij mei;ad quas dolori tanto ſolitudinem quærens me contuleram. III Eid. Vtil. anno R.S. CIↃ IↃC XVI.

Vicesi-

VIGESIMVS *præterit & centeſimus*
Dies, reclini corpore ex quo in ſellula
Humili recumbo, ſternor aut ſupra torum;
Tandemque plane clinicus iaceo domi
Inter dolores languidum corpus trahens,
Peior priore ſemper & ſequens fuit.
Tentata te monente nequicquam omnia,
Amice THVMERI, *debeo cui vitam hactenus.*
Aſclepiadum ceßit in vanum labor:
Fruſtra rogatus & bonus Renealmius
Peculiaris abdita artis pandere,
Stertit profundum nocte dum crucior miſer.
Quid iam amplius moramur in terreſtribus,
Grauiora morbo & experimur remedia?
Tentanda cælo per pias preces via:
Nec vita tanti eſt, tandiu, vt viuas, mori.

No. MAI. CIↃ IↃC XVII.

A. ☧. Ω.

HEIC *in quiete buccinæ exſpecto ſonum,*
Animas iubebit quum ſolutas ad ſua
Humi relicta tranſuolare corpora,
Interque ſanctos vltimæ ſententiæ
Iudex ſedebit & ſuperſtites Deus.
Vbique quæ ſeruata ſemper ab omnibus,
Hanc ipſe, quantum corporis non noxij
Hebeſue ſenſus ingenij non obſtitit,
Teneris ab annis vſque ſeruaui Fidem.
Mihi culta corde ſancta non ficto Trias,
Et criminis Crux expiatrix non ſui.
Mihi veritatis cura vitæ commodis
Antiquiorque caritatibus fuit,
Nullique facto, voce nulli iniurius,
Iniurias patienter aliorum tuli.
Tu quiſquis es, qualiſque quantuſque ô bone,
Si cura veri eſt vlla, ſi pietas mouet,
A me meiſque iniuriam quæſo abſtine.

VA1
1548800

1/15.
N.
13.